

Sequitur distinctio quadragesima et quadragesima prima.

Circa distinctionem quadragessimam et quadragessimam primam, in quibus Magister agit de predestinatione et reprobatione hominum, et de de predestinationis et reprobationis causa et ratione, quero primo utrum Deus ab eterno quosdam predestinavit ad beatitudinem propter merita prescita futura. Quod sic, quia aliter Deus esset acceptor personarum, quia sine ratione faciente differentiam inter hos et illos predestinaret ad beatitudinem istos et non illos. Contra: quia cum bona merita sint bona Dei, secundum Augustinum De gratia et libero arbitrio, quero an ideo Deus ab eterno predestinavit dare istis bona huiusmodi, quia previdit futura merita, et ita processus in infinitum; aut non, sed ex gratuita libertate, ergo pari ratione de predestinatione ad finalem beatitudinem.

Notandum quod predestinatio in generali secundum quid nominis dicitur alicuius futuri preordinatio et predeterminedio, seu prevolitio, et quia Deus non preordinat mala culpe fieri, sed bona, ideo licet dicatur prescire bona et mala, non tamen dicitur predestinare peccata et mala fieri, tamen convenienter dicitur malos, quatenus mali, iam preintelliguntur predestinasse ad penam, quia eos secundum quod huiusmodi deputavit ad penam. Hoc testatur Augustinus libro De predestinatione contra pelagianos, ubi dicit sic: “de damnabili massa generis humani dicimus Deum prescivisse, quos electione gratie predestinavit ad vitam”. Ceteros vero prescivisse tantum vicio proprio perituros, non ut perirent predestinasse, sed his penam predestinatam esse fatemur rite, sicut igitur vult Augustinus, quod Deus non predestinat peccata, nec predestinat homines ad peccata, sed homines prescitos esse malos predestinat ad penam.

Item, secundum Augustinum, 21 De trinitate, capite 24, **[364a]** “quidam in hac vita constituti sunt predestinati in eternum ignem ire cum diabolo”, et Enchiridion 80, “malos iuste predestinavit ad penam. Bonos autem benigne ad gloriam”.

Item, Isidorus libro secundo De summo bono, capite sexto, “Gemma est predestinatio sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem, quamvis autem predestinatio ex sua impositione et significatione sit generalis ad preordinationem futuri, tamen secundum usum presentis temporis appropriatur preordinationi electorum ad beatitudinem et gratiam. Predestinatio autem malorum ad penam reprobationis nomen accepit. Sicut etiam nomen

prescientie est commune bonis et malis, sed secundum usum presentis temporis presciti specialiter dicuntur reprobi”.

Item, notandum quod secundum aliquos predestinatio bonorum a Deo est illorum ordinatio et electio ad finalem beatitudinem seu voluntas et propositum dandi vitam eternam et preordinatio bonorum ad gratiam et iustitiam pro via dicitur preparatio ad effectum qui est quoddam medium ad finale bonum respectu cuius est per se predestinatio. Secundum aliquos autem predestinatio bonorum a Deo est divina eterna preordinatio creature rationalis ad gratiam finalem pro statu vie, et simul ad eternam gloriam pro patria. Potest autem dici quod quecumque Deus preordinat ad finalem beatitudinem, preordinat etiam ad gratiam finalis perseverantie pro via, et ad media requisita ad beatitudinem. Sed respectu cuius sit per se et primo divina electio et ordinatio an ad beatitudinem, an ad gratiam, et an propter opera vel merita prescita videbitur in ista questione.

Item, sciendum quod non queritur an peccata futura vel eorum prescientia sit realiter causa divine prevolitionis et preordinationis active, que est formaliter operatio divine voluntatis, quia constat quod nihil in Deo est formaliter causatum realiter, sed queritur an hec causalis sit vera. Ideo, Deus preordinavit Socratem ad gloriam et preelegit quia Socrates erat futurus bonus, et quia Deus providebat eius bonitatem futuram, et an hec propositio foret conveniens responsio ad interrogationem, quare Deus hunc elegit et non illum, ita quod merita ut previsa sint quasi ratio et propter quid predestinationis est quasi ratio condecencie et congruentie motive ad predestinandum, ita quod, si in Deo distinguerentur actus prescendi et actus predestinandi, prescientia meritorum esset causa actus predestinandi, quo modo volo et propono *a* mihi copulari, quia credo ipsum futurum bonum.

Item ea, que in hac questione dicuntur, non pono per modum assertionis, sed inquisitionis probabilis. Nam materia hec excedit intellectum humanum. Unde, super illud Romanos nono, “cui vult miseretur, et quem vult indurat”, glossa: “multi de profundo iudiciorum Dei querentes reddere rationem in fabulas vanitatis abierunt”, sequitur: “Melior est igitur fidelis ignorantia, quam temeraria scientia”. Apostolus etiam post inquisitionem huius questionis, invens hanc questionem excedere vires humanas, ait: “O, altitudo divitiarum, sapientie et scientie Dei quam incomprehensibilia” etc, Romanos undecimo.

Prima conclusio, Deus ab eterno predestinavit dare quibusdam ex tempore gratiam iu -[364b]-stificansem et facientem dignum vita eterna. Non ideo quia previderet aliquod eorum meritum futurum per quod de condigno vel de congruo prius mereretur illam gratiam. Probat, quia dat ex tempore gratiam quibusdam in quibus nullum precessit meritum. Patet de parvulis baptizatis et de sanctificatis in utero, ut de Ieremia, Iohanne Baptista et Beata Virgine. Confirmatur per Augustinum in epistola ad Sixtum, et De dono perseverantie, ubi dicit quod duorum parvulorum et geminorum unus conservatur in vita, donec baptisatus exeat, alter vero priusquam baptisandus offeratur expirat, nulla differentia meritorum preexistente, dispar est exitus, et merita preerant communia, sequitur. Confiteamur igitur gratiam Dei, non secundum merita accipientium dari, sed secundum beneplacitum voluntatis eius, ut qui gloriatur non in se, sed in Domino gloriatur.

Et ponit ad hoc exemplum Augustinus libro De predestinatione et gratia, quoniam creditor nulla differentia preexistente in debitoribus, que sit causa et ratio huius potest uni gratis remittere debitum, et ab altero exigere.

Preterea, humanitati Christi contulit gratiam et gloriam, non quia precesserunt merita. Augustinus Enchiridion tricesimonono, “verbum caro factum est, hic evidenter gratia Dei commendatur, quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem persone Filii Dei esset assumpta. Unde, nature humane tanta gloria, nullis precedentibus meritis, nisi quia magna hic et sola Dei gratia ostenditur evidenter, ut intelligant homines per eandem gratiam eius se iustificari a peccatis”. Eandem sententiam ponit capite quadragesimo tertio.

Preterea, super illud ad Romanos nono, “sed qui filii promissionis”, glossa: “sicut Isaac non meruit ut nasciturus promitteretur, sic est isti quia secundum promissionem filii sunt Abrahe, sed ex sola gratia data est eis filiorum adoptio”.

Preterea, duorum adultorum equaliter indignorum, et cum equalibus demeritis actualibus, non est inconueniens Deum supernaturaliter et singulari dono vocare, et trahere unum et ei gratiam conferre altero relicto, igitur non est inconueniens gratiam conferri alicui creature rationali sine aliquo merito antecedente. Antecedens patet de Paulo, qui secundum Augustinum De gratia et libero arbitrio, “sine ullis meritis bonis, immo cum multis meritis malis consecutus est gratiam Dei, reddentis bona pro malis”. Et super illud ad Romanos nono, “in vasa misericordie que

preparant ad gloriam”, glossa: “quidam sunt quibus, nec gratiam apponit Deus. Aliis autem confert eam quasi coactis, ut Apostolo Paulo”.

Preterea, ad idem facit illud Matthei undecimo, “ita Pater quoniam sic fuit placitum ante te”. Et illud Matthei vigesimo, “an non licet mihi quod volo facere etc.” Et illud ad Romanos nono, “an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa etc.”

Contra, primo: Deus esset acceptor personarum, contra illud Actuum decimo, “in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus”. Et Matthei vigesimosecundo, “non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personarum hominum”. Et ad Romanos secundo, “non enim est personarum acceptio apud Deum”. Consequentia probatur, quia ergo [365a] homines equaliter et indifferenter se habentes, Deus inequaliter et differenter se haberet in conferendo, et eis quibus equaliter vel non inequaliter iustum est tribui, nec magis dignum vel conveniens est tribui isti, quam illi, tribuit uni, non alteri, et eque dignum repellit et abiicit vocando alterum.

Secundo, Deus circa creaturam nihil agit, neque vult, nisi rationabiliter et sapienter, igitur nihil vult, nisi ex ratione predictante et providente quasi movente, et habet cur rationabile. Posset enim reddere rationem homini super eo quod vult ita fieri, et non aliter.

Confirmatur: Augustinus Ad Orosium, questione septima, “in Deo preire voluntas sapientia non potest”. Et Sapientie octavo dicitur quod “Dei sapientia attingit a fine usque ad finem, et disponit omnia”.

Tertio, Deus quidquid vult et agit circa creaturam, vult et agit secundum electionem et consilium, igitur ex ratione predictante. Consequentia patet, quia tertio Ethicorum, capite sexto, “electio est voluntatum preconscientium, electio enim cum ratione et intellectu”. Patet etiam antecedens et consequentia per illud Ephesiorum primo, “Deus omnia operatur secundum consilium voluntatis sue”, ubi glossa: “secundum voluntatem suam, que est ex ratione, quasi dicat quia nos magis elegit ad officium predicationis vel apostolatus nescimus, sed tamen consilio fecit”.

Quarto, modus volendi et operandi nobilior est Deo attribuendus, sed hoc est velle ex ratione predictante et preostendente. Nam dici solet non in laudem tamquam sapientis rectoris. Sic volo, sic iubeo sit pro ratione voluntas.

Confirmatur, quia sequitur quod homo rectius et laudabilius vellet et viveret, si voluntas in eo preiret, et duceret rationem. Ex quo est iste modus volendi, dicens perfectionem simpliciter et magis remotus ab imperfectione. Et quia conformaretur divine voluntati in volendo, et magis imitaretur illam, et ita esset perfectior imago et similitudo eius.

Quinto specialiter, de vocatione et iustificatione adulatorum. Non enim confert isti gratiam sive remittendo peccatum, sive per modum augmenti, nisi alia ratione et differentia precedente secundum quam iste magis est dignus, et magis rationabile est conferri isti quam illi. Probo: Augustinus octuaginta trium questionum, questione sexagesima octava: “Deus cuius vult miseretur, et quem vult indurat, sed hec voluntas Dei iniusta esse non potest, venit enim de occultis meritis, quia et ipsi peccatores cum propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter eos diversitas. Precedit, igitur, aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint iustificati digni efficiantur iustificatione et precedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione, sequitur. Deus non miseretur qui ad pacem vocat, nisi voluntas precesserit, quia in terra pax hominibus bone voluntatis”, hec Augustinus. Et ponitur in glossa super illud Matthei primo, “Jacob dilexit etc”.

Confirmatur: super illud Romanorum nono, “cuius vult miseretur, et quem vult indurat”, glossa: “Deus eorum non miseretur quibus gratiam non esse prebendam equitate occultissima, et ab humanis sensibus remotissima iudicat, quam [365b] non aperit Apostolus, sed miratur dicens: “O, altitudo divitiarum sapientie etc”.

Confirmatur: super illud Romanos nono, “O, homo, tu quis es, qui respondeas Deo”, glossa Augustini: “hoc non dicit Apostolus ex inopia reddende rationis, sed hominem ad sue capacitatis considerationem revocat”. Et habetur Enchiridion, septuagesimo nono.

Sexto, Deus ab eterno ordinavit dare Socrati *b* augmentum gratie propter actus aliquos meritorios illius augmenti. Igitur, pari ratione de gratia et meritis simpliciter et absolute. Antecedens patet, quia ideo augetur isti gratia, quia meretur augeri per actus elicitos ex priori gratia.

Ad primum negatur consequentia accipiendo proprie et stricte acceptionem personarum, implicat enim circumstantiam vituperabilem. Est enim personarum acceptio personarum

indeterminata distinctio in conferendo vel substrahendo. Ille enim proprie dicitur acceptor personarum, qui contra exigentiam meritorum vel demeritorum, et contra dictamen iustitie et recte rationis, cui anteceder obligatur, confert vel aufert, parcit vel punit, preponit vel postponit, propter affectionem vel inaffectionem ad personam, vel propter talem conditionem persone propter quam conditionem neque dignum, neque iustum est sic fieri, immo sive illa conditione posita, sive non posita foret aliter agendum. Ex quo patet quod, si nulla ratione vel lege anteceder obligante teneor conferre vel remittere *a* Socrati vel Platoni, et ambo sint eque digni si do vel remitto Socrati *a* et non Platoni, vel econtra, non sum acceptor personarum, ut acceptio personarum est nota conditionis reprehensibilis, sic autem est de Deo, qui anteceder nulla lege vel ratione obligatur dare isti vel illi, aut isti magisquam illi. Accipiendo autem acceptionem personarum large pro quacumque preelectione vel prepositione voluntaria ad quam quis non obligatur anteceder ex rigore iustitie non est inconveniens hoc convenire Deo vel homini iusto. In speciali vero cum Scriptura dicit Deum non esse acceptorem personarum intelligitur quod Deus neminem salvat, nisi dignum et cum merito, et neminem damnat, nisi reum et cum demerito, et quod non eligit, nec abiicit propter conditionem personalem, puta quia grecus, vel iudeus, vel gallicus, vel propter nobilitatem, vel ignobilitatem generis, aut divitias, aut paupertatem, aut conditionem servitutis, aut libertatis, quin si homo faciat iusticiam, et quod in se est acceptetur, et si faciat oppositum, quin damnetur.

Item, potest dici quod quamvis equaliter dignus vel indignus anteceder Deus conferat inequaliter, non tamen equaliter dignis consequenter et communiter, quia eo quod Deus confert gratiam alicui dignum, et iustum est conferri et Deus conferendo dignificat.

Ad secundum, negatur consequentia. Sufficit quod secundum rationem concomitantem. Ad confirmationem, intelligit de precessionem secundum damnationem vel causalitatem. Intendit enim quod Filius in divinis non generatur voluntate precedente per quam Deus Pater prius voluerit libere generare, et postea genuerit, sicut in humanis. Ad aliud, verum est quod sapientia omnia [366a] disponit, quia divina voluntas et sapientia sunt unum principium aliorum.

Ad tertium, accipiendo proprie consilium pro syllogismo deliberativo et aliquantulum ignoti inquisitio, accipiendo etiam proprie et stricte electionem prout usus est Philosophus, scilicet pro actu voluntatis sequente consilium et deliberationem et sententiam discursus practici, negatur anteceder. Accipiendo autem large consilium pro ratione demonstrante et ostendente de agibili

vel non agibili, et accipiendo electionem pro voluntaria et libera preceptione alterius quorundam propositorum, negatur consequentia. Ad auctoritatem glosse potest dici quod ex ratione (quia conformiter rationi concomitanti) vel Deus vult interdum plura, et velle unum potest responderi tamquam ratio, et propter quid de alio, ut vult eligere istum ad officium prelationis, quia vult ceteros doceri et converti per hominem simplicem et pauperem, sed ultimata resolutio stabit ad aliquod velle, cuius non erit ratio et propter quid prius. Ista, igitur, occulta iudicia non oportet esse merita vel demerita preexistentia formaliter realiter in hominibus, sed sunt diversa ordinate volita a Deo, et hoc propter illud et ad illud.

Ad quartum, negatur minor nisi de voluntate creata, que non est ex se recta, sed regulabilis per aliud et subiecta alteri. Ad confirmationem, negatur consequentia. Licet enim magis assimilaretur divine voluntati secundum quid, tamen magis difformaretur simpliciter, quia vellet sicut Deus non vult eam velle, et esset inobediens et rebellis et contraria volens preire voluntati Dei. De tali igitur assimilatione dicitur in Psalmista, “existimasti inique quod ero tui similis”. Et Lucifer ait “ascendam in altum et similis ero altissimo”, Isaie decimoquarto.

Ad quintum, Magister dicit in hac distinctione quadragessima prima quod Augustinus illud implicite et equivalenter retractat in simili primo retractationum, capite vigesimo secundo. Sed non oportet sic dicere, quia sententia quam ponit primo retractationum, capite vigesimo secundo, satis consonat sententie quam ponit in questione sexagesimo octava. Concedit enim quod mere et gratuita Dei voluntate non propter merita priora vocatur iste et non ille. Potest, igitur, dici quod quamvis nulli adulto peccatori Deus conferat caritatem et gratiam iustificantem et gratum facientem sine aliquo merito prioris dispositionis congrue, tamen interdum sine merito antecedente et sine dignitate maiori vel minori indignitate in isto, quam in illo, Deus confert isti, et non illi, gratiam gratis datam, id est vocat et excitat et convertit ipsum supernaturali et singulari modo, sed post huiusmodi vocationem et excitationem gratuitam aliqua actio vel dispositio equivalens in isto precedit infusionem caritatis et gratie gratum facientis. Et hoc innuit Augustinus in illa questione, statim enim subiungit quod si quis iusto gemitu et dolore penitendo misericordia dignus fuerit, non ipsius est, sed miserentis Dei, sequitur. Velle quisquam non potest nisi admonitus et vocatus, sive intrinsecus, sive extrinsecus. Ad illam enim cenam non omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi qui venerunt venire possent nisi vocarentur.

Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea, etsi quisquam tribuit sibi quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est.

Item, huic sententiae conformatur Augustinus capite vigesimoquinto, ubi exponens illud **[366b]** verbum quod dixerat questione sexagesima octava, scilicet quod Deus non miseretur qui ad pacem vocat, nisi voluntas precesserit, sic exponit. Ad pacem post previam nam est misericordia Dei, etiam ipsam preveniens voluntatem et ad eam misericordiam pertinet ipsa vocatio, que etiam fidem prevenit.

Ex his patet quod illa auctoritas Augustini non est contra ea que assumebantur in probatione conclusionis. Non enim dicit quod peccatori adulto et indigno Deus conferat caritatem primam sine omni dispositione precedente meritoria de congruo, sed dixi quod sine merito ante Deus gratis istum vocat magis quam illum. Et ex hoc inferebam non esse inconveniens nec mirabile, quod sola Dei voluntas gratuita sit ratio conferendi alicui creature rationali gratiam gratum facientem sine merito precedente patet de parvulis. Et circa hoc notandum quod quamvis Deus hunc vocet magis quam illum sine maiori merito vel dignitate, in isto quam in illo, tamen in hoc salvatur iustitia divina sine acceptione personarum mirabili. Sicut enim Dei influenza generalis est parata et exposita causis secundis, sic influenza specialis auxilii divini parata est omnibus hominibus antecederet facientibus quod in se est sufficienter ad bene vivendum, puta diligenter conantibus facere quod dictat ius naturale et ratio naturalis esse faciendum, et caventibus quod dictat cavendum, et diligenter inquirentibus notitiam veritatis ad bene vivendum et perveniendum ad finalem hominis beatitudinem, propter quam conditus est homo, et vivendum secundum Dei voluntatem, et ultra diligenter invocantibus divinum auxilium ad cognitionem veritatis et assecutionem bonitatis, sed licet speciale Dei auxilium sit paratum omnibus hoc modo quod in se est facientibus. Contingit tamen quod duorum, quorum neuter facit quod in se est Deus unum vocet et trahat et convertat supernaturali et singulari modo, ut Paulum, et non alterum non magis antecederet indignum ex se. Contingit etiam quod duorum facientium quod in se est, licet Deus utrique conferat quantum requiritur et sufficit ad salutem uni, tamen faciat maiorem vel plenior gratiam quam alteri.

Ad sextum argumentum, negatur antecedens, quia volens ordinate finem et omnia media ad finem, sicut prius vult finem, quam medium ad finem, ita prius vult medium essentialius et propinquius fini, quam medium accidentalius et remotius, quia medium propinquius et



essentialius est quasi finis respectu alterius medii. Gratia autem est medium propinquius, et essentialius, et immediatius fini beatitudinis et medium essentialius et immediatius ad tantum augmentum glorie est tantum augmentum gratie. Actio autem est medium remotius, quia est propter augmentum gratie, et est medium accidentalius, quia eo transeunte et remanente augmento gratie, habetur finis intentus.

Ad probationem antecedentis, si li 'quia' notet causam quasi motivam et preiudicatam et predictatam negatur. Si vero notet quasi causantem materialem dispositivam conceditur.

Secunda conclusio: Deus ab eterno preordinavit dare gratiam et caritatem quibusdam ex tempore, non ideo quia presciret eos bene usuros illa gratia. Probatur, quia dat quibusdam qui non sunt bene usuri, ut parvulis post baptismum decedentibus statim. Dices: elegit dare **[367a]** eis gratiam propter bonum usum, non quem simpliciter habituri sint, sed quem simpliciter habituri essent, si vixissent. Alium autem non vocat ad gratiam baptismi, quia scit illum male usurum si superviveret.

Contra: quia hec reprobatur Augustinus libro De predestinatione sanctorum, et De dono perseverantie, et in Epistola ad Sixtum, et Gregorius vigesimoseptimo Moralium, capitulo 3. Deus enim iudicaret et puniret hominem propter peccatum que nec commisit, nec commissurus est. Si ideo neget isti gratiam baptismi, quia si reciperet abuteretur ea. Consequens est falsum, quia Sapientie 4, "raptus est ne malitia mutaret animam eius etc", igitur non iudicat propter mala que fecisset, si mansisset. Dices: non est punitio, sed quidam modus misericordie, ne scilicet gravius damnetur. Contra: licet videatur esse quidam modus misericordie, comparando istud ad graviolem culpam que sequitur, tamen comparando istum ad privationem baptismi propter illam causam esset quidam modus iudicii punitiois pro culpa non contracta, nec contrahenda. Hec responsio est contra determinationem Augustini.

Item, hoc premiaretur propter merita que nec ipse, nec alius habuit, nec habiturus est, et que nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, pari etiam ratione quemlibet adultum vel parvulum premiaret propter merita que habuisset, si amplius vixisset, ex quo etiam patet quod nec adulto dat, nec preordinavit dare gratiam propter bonum usum futurum, quem ipse Deus previdit, quia premiaret nunc Socratem pro meritis futuris et possibilibus numquam fore, quod est falsum; tum

quia illa sufficienter premiabuntur quando erunt; tum quia futura merita non faciunt eum dignum hac gratia.

Item, illud non est causa quare Deus dat, vel dare preordinavit gratiam isti, quo circumscripto iste non minus foret dignus gratia, nec minus conferretur et conservaretur ei gratia finaliter, sed istum esse bene usurum est huiusmodi, quia possibile est ipsum ante usum mori et occidi.

Item, non est verisimile quod nullus infidelium parvulorum, si foret baptisatus esset bene usurus gratia et perseveraturus in ea, igitur non universaliter quem non vocat, ideo non vocat, quia scit illum male usurum, igitur pari ratione de bene usuro. Quod etiam multi vocantur, non quia essent male usuri, immo bene usuri. Patet Matthei 11, “ve tibi, Bethsaida, ve tibi Corazain, quia si in Tyro et Sydone facte essent virtutes, que in vobis facte sunt olim in cilicio et cinere penitentiam egissent”. Ex quo patet quod non ideo sunt vocati per predicationem et miracula, quia non erant credituri et bene usuri, ut docet Augustinus libro De dono perseverantie”.

Contra: quem vocat ad gratiam, ideo vocat, quia prescit illum bene usurum vocatione, et quem non vocat ideo non vocat, quia prescit illum non bene usurum vocatione, ideo pari ratione de collatione gratie et de collationis preordinatione. Antecedens patet super illud ad Romanos nono: “Misericordiam prestabo cui miserebor”, glossa: “Illius miserebor vocando et gratiam apponendo, cui prescius eram quod misericordiam daturus essem, et sciens illum convertendum, et apud me permansurum, sequitur. Misericordiam dabo illi quem prescio post errorem toto corde reversurum ad me. Hoc est dare illi, cui dandum, et non dare illi, cui dandum non est, ut vocet illum quem sciat obedire, illum vero non vocet, quem sciat non obedire, quia non voluntate petentis, sed in arbitrio dantis debet esse quod datur. An enim dandum sit, debet iudicio pensari”, hec glossa.

Secundo, illud est causa quare Deus confert vel conferre preordinat gratiam, quod est finis **[367b]** propter quem et gratia cuius confertur vel conferenda est gratia, sed bonus usus futurus previsus a Deo est huiusmodi. Probo, quia gratia datur homini ad hoc, ut bene utatur illa ad gloriam Dei, et salutem sui et proximi, non ut sit otiosa, sed operosa proficiendo. Si enim naturalia dantur ad bene utendum, ita et spiritualia. Patet etiam per illud secunde Chorintios sexto, “hortamur vos ne in vanum gratiam Dei recipiatis”. Patet iterum, quia Matthei vicesimoquinto, “servo traditum est talentum ad multiplicandum”. Patet iterum, quia usus

habitus virtuosi est finis habitus. Actus enim et operationes se habent ut finis secundum Aristotelem primo Ethicorum, capite primo et capite duodecimo. Patet etiam in artificialibus quod usus rei artificialis est finis eius, igitur usus gratie est causa finalis propter quam datur, vel dari preordinatur.

Tertio, aliquos peccatores citius rapit, quia futuri essent deteriores, igitur pari ratione parvulos ante baptismum rapit, quia futuri essent peiores, et ideo non vocat, quia prescit eos male usuros et peiores futuros. Antecedens probatur, tum quia quosdam peccatores expectat diutius, ut meliorentur, igitur pari ratione quosdam rapit ne peiorentur, tum quia quosdam iustos citius rapit ne fiant peiores. Sapientie quarto, “raptus est ne malitia etc”, igitur pari ratione malos interdum citius rapit ne fiant peiores.

Quarto, aliquod donum speciale et supernaturale interdum confirmatur propter merita futura, igitur pari ratione gratia. Antecedens probatur Genesis decimo octavo, “non potero celare ab Abraham que gesturus sum cum futurus sit in gentem magnam, et benedicende sint in eo omnes nationes terre. Scio enim quod precepturus sit domui sue et filiis eius post se, ut custodiant viam domini etc”

Ad primum, negatur antecedens si intelligitur universaliter, vel si per huiusmodi causalem notetur quod ipsum esse bene usurum sit per modum meriti ratio reddens ipsum dignum ut vocetur, et quasi movens vocantem ad vocandum. Ad probationem, auctoritas illa non est propositio causalis, et est particulariter accipienda, quia non omnis vocandus est sic bene usurus.

Item, potest negari consequentia, quia vocatio passiva (que est occasio motiva) ordinatur per se ad bene vivere, ut ad finem gratia cuius est, et Deus ideo ordinavit eum revocare, quia preordinavit dare ipsi beatitudinem et bene vivere, sed caritas data non est per se propter usum sequentem, ut finem propter quem, et gratia cuius per se est, nec ideo preordinatur ad caritatem, quia prius ordinetur ad usum, ideo preordinatur ex gratuita Dei bonitate ad talem usum, quia prius secundum naturalem intelligentiam Deus predestinavit ei conferre tantam beatitudinem, et consequenter tantam caritatem, tamquam medium requisitum et sufficiens, ita quod totalis caritas huiusmodi est quasi prius preordinata isti, quam talis usus, et usus futurus post *a* partialem caritatem non est per se finis preordinatus, gratia cuius sit *a* caritas predestinata, sed totalis caritas istius intelligitur quasi prius preordinata isti.

Ad secundum, negatur minor. Ad probationem, finis interdum sumitur proprie pro causa, gratia cuius et propter quam per se et principaliter est res, et sic huiusmodi usus non est finis caritatis etiam prehabite, immo circumscripto illo usu non frustra est caritas et recedente illo usu manet prior caritas ad alium per se finem, scilicet ad to **-[368a]-** talem caritatem et finalem beatitudinem predestinatam, non enim est circulus in per se ordine causalitatis finalis, usus autem futurus est per se gratia caritatis future ad quam se habet ut meritum ad premium, nec est simile de usu instrumenti artificialis, quia illo usu circumscripto et remoto frustra est huiusmodi instrumentum, non etiam est simile de usu virtutum moralium. Caritas enim est singularis virtus, que non frustra habetur etiam circumscripto actuali usu proprio, nec usus proprius virtutis moralis ordinatur per se ad virtutem, sed potius econtra. Alio modo finis sumitur large et improprie et accidentaliter pro posteriori per modum effectus et termini vel pro medio conferente alicui nature ad perveniendum ad finem suum, et mediante quo ducitur aliqualiter ad finem suum, ut generatio et corruptio inferior dicitur finis motus intelligentie, secundum Commentatorem 12 Metaphysice, commento 36, sicut etiam homini parum habenti et magnum thesaurum acquirere conanti mercatio, vel aliquis alius usus prioris thesaruri diceretur esse finis thesauri, quia mediante huiusmodi usu augetur thesaurus, et fit totalis thesaurus, qui primo appetebatur, sicut etiam imperfectior sanitas, mediante aliqua ambulatione, pervenit ad perfectiorem sanitatem. Dico, igitur, quod non ideo confertur gratia, quia iste est, vel scitur esse bene usus, ut notetur ratio faciens ipsum dignum, vel causa finalis, gratia cuius et propter quam quasi prenotam Deus velit isti dare gratiam, immo prius ordinavit Deus dare isti tantam gratiam ad tantam beatitudinem, et ideo preordinavit talia media ad illam caritatem acquirendam simul vel per partes successive.

Ad tertium, negatur consequentia, quia non est simile, non enim sequitur Deum iudicare et punire et privare hominem beneficio propter demeritum non contractum, nec contrahendum, sicut sequitur ex alia parte.

Ad quartum, sumendo antecedens particulariter, negatur consequentia, et illa bonitas Abrahe futura et prescita erat prior et principalior effectus predestinationis in predestinando, quam illa revelatio, que erat secundario et accessorie consequenter ordinata ad perfectionem sanctitatis, econtra autem de gratia et usu gratie.

Tertia conclusio, omni homini de numero electorum existenti Deus ab eterno predestinavit dare gratiam aliquam seu beneficium aliquod supernaturale ex mera gratuita bonitate, non ideo quia prevederet illius hominis aliquod meritum propter quod de condigno, vel de congruo mereretur illud donum. Patet de parvulis post baptismum evolantibus, sed probatur de adultis electis, quia Deus Socrati electo preordinavit dare beatitudinem, aut igitur sic pena gratuita voluntate, quod non propter aliquod meritum Socratis previsum, et habetur propositum, aut non, sed propter aliquod bonum previsum in Socrate sit illud *a*, aut igitur *a* est bonum supernaturale, et de illo queritur an Deus preordinaverit dare *a* ex mera gratuita voluntate, et habetur propositum, aut propter aliud bonum, et erit processus in infinitum, aut erit status in aliquo bono supernaturali pure gratis dato. Si vero tandem dicatur quod preordinaverit dare Socrati *a* donum supernaturale, quia previdit in eo bonum futurum naturaliter acquisibile, puta quia previdit Socratem bene usurum naturalibus et libero arbitrio. Contra: multipliciter primo, quia talis bonus usus liberi arbitrii, aut est speciale donum Dei et non sine gratia et auxilio superna **-[368b]-** turali et stat propositum, aut habetur ex puris naturalibus cum Dei influentia generali, et adhuc habetur propositum, quia ex gratuito Dei dono est quod huiusmodi usus sit meritorius gratie, etiam de congruo et quod a Deo acceptatur ut meritum congruum gratie, et quod sit dispositivus et preparativus ad gratiam. Hoc enim non est de rigore iustitie, nec ex naturali valore huiusmodi usus non est etiam sine omni misericordia et gratia quod dat isti bene uti moraliter libero arbitrio, quia Trenorum tertio, “misericordie Domini, quia non sumus consumpti propter demerita peccatorum et quod non permittit tentatorem agere ut vellet et posset”.

Item, Augustinus Enchiridion 35, “precedit bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia utrumque enim legitur et misericordia eius preveniet me et misericordia eius subsequetur”. Et 83 Questionibus, questione 68, ut supra allegatur, “nemo venit nisi ex gratia et misericordia vocatus”.

Item, super illud Romanos 9, “non est volentis neque currentis”, glossa: “non ideo misertus est Iacob, quia voluit et cucurrit, sed ideo voluit et cucurrit, quia Deus misertus est eius”.

Item, sequitur quod Deus preordinaret dare beatitudinem. Primo et principaliter, propter actiones illicitas ex puris naturalibus magis quam propter elicatas ex gratia, vel propter caritatem. Probo, quia ideo preordinavit dare beatitudinem, quia previdit bona merita, et iustitiam, et caritatem, et

ista preordinavit dare propter bonum usum naturalium, et ita prima ratio et radix predestinationis propter quam omnia alia preordinantur est naturalium usus.

Preterea, ad principale non magis inconveniens est Deum dare creature rationali bene esse ex mera gratia sine ratione antecedente ex parte illius creature, et absque differentia precedente inter illam et aliam cui non dat tale bene esse, quam dare esse simpliciter. Sed Deus convenienter et rationabiliter uni causabilium possibilium dedit esse, et non alteri sine causa vel differentia antecedente ex parte illorum, sed ex mere gratuita voluntate et unam portionem materie vestivit forma ignis, et eius dispositionibus, aliam autem vestivit forma et dispositionibus terre vel aeris etc., ergo.

Preterea, huic conclusioni consonat illud Romanos 11, “sine penitentia enim sunt dona et vocatio Dei”.

Quarta conclusio: nullum electorum ideo Deus ab eterno preordinavit ad beatitudinem, quia presciret eius bona opera vel merita futura, seu propter bona opera vel merita illius futura prevista. Patet de parvulis baptisatis et statim evolantibus quod vocentur ad baptismum ex mera gratia. Patet supra per Augustinum, et per illud Apostoli ad Titum, 2, “non ex operibus iustitie quam fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lavachrum regenerationis”, id est sacramentum baptismi”. Ex quo concluditur idem de adultis electis pari ratione. Si enim convenienter et rationabiliter salvatur predestinatio Dei eterna respectu huiusmodi parvulorum ex mera gratuita voluntate Dei sine respectu ad merita, ut ad causam et rationem propter quid, igitur convenienter et rationabiliter poterit salvari divina predestinatio respectu adultorum. Similiter, quia rationes partis adversarie sunt eque contra utrumque, immo non videtur conveniens quod predestinatio respectu aliquorum electorum habeat rationem et propter quid ex parte eorum, et non respectu aliorum electorum. Sicut enim omnes **[369a]** reprobi, aut sunt reprobati propter demerita futura prescita, aut ex solo proposito voluntatis Dei, sicut omnes electi, aut sunt predestinati propter opera et merita eorum prevista, aut ex misericordia Dei et gratia et misericordia non propter merita.

Preterea, hec videtur fuisse doctrina sanctorum super illud Romanos, 9, “Rebecca ex uno concubitu etc”, glossa: “ista promissio facta Rebecce ostendit quod propter nullum meritum suum vel parentum aliquis eligatur, sed sola gratia”.

Item, super illud Romanos 9, “non est volentis neque currentis”, glossa: “ecce quod non propter futura que previdet eligit Deus”.

Item, super illud Romanos 9, “cum nondum nati essent etc”, glossa Augustini: “Deus eligit secundum gratiam, non secundum meritorum debitum, quia eligendos ipse facit, non invenit, sequitur non ex operibus, sed ex vocante ostendit quod, sicut non propter meritis precedentibus illud fuisse datum, ita nec pro meritis futuris, sed ex gratia vocantis Dei sequitur Iacob dilexi. Iacob gratia est electus non merito”.

Item, infra “numquid iniquitas apud Deum”, glossa Augustini: “si bona futura huius aut mala illius, que Deus utique presciebat, attenderet, Apostolus non diceret non ex operibus, sed diceret ex operibus, sequitur nemo dicat Deum quia opera futura previdet alterum elegisse, alterum reprobasse, sed potius ad Dei gratiam et gloriam commendandam ne quisquam de operum suorum meritis audeat gloriari”.

Item, Augustinus libro *De predestinatione et gratia*, circa illum predictum de Esau et Iacob, sic ait: “si futuros mores dicitur divinum decrevisse iudicium, profecto illud evacuatur quod dicit Apostolus, non ex operibus, cum autem dixerit generaliter non ex operibus, ibi et preterita intelligi voluit, et futura preterita, scilicet que nulla erant et futura que nondum erant”.

Item, Augustinus *De predestinatione contra pelagianos*, sic ait: “dicimus, igitur, de damnabili generis humani massa Deum prescivisse misericordia non meritis, quos electione gratie predestinavit ad vitam”; et infra: “qui secundum propositum Dei vivunt esse predestinatos electione gratuite gratie eius sine dubitatione. Dicendum est taceat, igitur, humana lingua nec in predestinatione de meritis extollatur, divine enim voluntatis est hoc donum, non humane fragilitatis meritum”.

Item, Augustinus libro 5 *Contra Iulianum*, “nullum eligit Deus dignum, sed eligendo efficit dignum, nullum tamen punit indignum”. Et libro 6, capitulo 21, “homines per mediatorem liberantur, gratuita miseratione non debita, quos ante mundi constitutionem non ex operibus, vel preteritis, vel presentibus, vel futuris, alioquin gratia iam non est gratia, quod maxime apparet in parvulis, qui in illa etate moriuntur”.

Item, super illud Ephesios, I, “elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati etc”, glossa sancti Augustini: “sicut non elegit nos ex eo quod nunc sancti essemus, ita nec ideo quia sancti futuri essemus, sed potius elegit nos ad hoc, ut in tempore sancti essemus. Non igitur quia futuri essemus elegit, sed ut essemus sancti, ideo quippe tales futuri eramus, quia elegit nos, ut tales per gratiam essemus. Sed pelagianus veritati insultans ait: presciebat Deus qui essent futuri sancti et immaculati per libere voluntatis arbitrium, et ideo quales esse futuros esse prescivit, elegit quem confutat Apostolus dicens, ut essemus sancti”.

Item, infra super illud “in quo et nos forte voca **-[369b]-** ti sumus”, glossa: “vocati sumus non meritis, sed sorte, id est divina electione, sors enim dicitur gratia Dei, qua salvi facti sumus, que bene dicitur sors, quia hominis non est electio, sed voluntas Dei, quia nulla merita nostra invenit, sed sorte voluntatis sue nos ad salutem vocavit, quia voluit, non quia digni fuimus”.

Item, super illud Psalmum 30, “in manibus tuis sortes mee”, glossa Augustini: “Sortes hic accipitur gratia Dei, que sine meritis quos vult eligit in manibus gratis tuis sortes mee, id est gratuita mea electio”.

Item, Augustinus, libro primo Retractationum, capitulo 22, “recitat se alias sensisse quod Deus elegit quosdam non propter opera eorum futura in prescientia, sed propter fidem in prescientia, ut quem sibi crediturum esse presciret ipsum eligeret, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando vitam etiam eternam consequeretur, sed hec retractat ibidem, dicens quod nondum diligentius quesierat et invenerat qualis sit electio gratie. Fides enim etiam interdum Dei dona computatur, que Spiritu Sancto conferuntur, et de Dei misericordia venit. Ait enim Apostolus: “misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem”, non ait: “quia fidelis eram” sed “ut fidelis essem”. Augustinus, libro *De predestinatione sanctorum*, qui factus est post librum Retractationum, dicit illud se retractasse et opinionem ponentem predestinationem esse propter merita prescita dicit esse errorem Pelagii.

Item, ad hoc sunt 3 articuli parisienses in posterioribus, quorum unus sic dicit quod “propter opera alicuius futura bona Deus predestinavit aliquem ab eterno, error”. Alius est quod “aliquis est predestinatus ab eterno propter bonum usum liberi arbitrii, quem Deus prescivit eum habiturum, error”. Alius est quod “non sicut gratis et misericorditer Deus predestinavit illum quem predestinavit, quin etiam pro omnibus bonis futuris ipsius vel alterius, error”.



Quinta conclusio: Deus nulli electorum ab eterno, ideo ordinavit dare finalem beatitudinem in patria, quia preordinaverit dare ei gratiam seu caritatem et iustitiam in via, sed potius econverso, ideo preordinavit ab eterno dare ei iustitiam et gratiam gratum facientem pro via, quia gratis pure predestinavit ei dare finalem beatitudinem pro patria. Et hec conclusio differt a precedenti, concesso enim quod ab eterno non predestinavit aliquos ad gloriam propter prescita eorum opera vel merita, quibus merentur gratiam vel augmentum gratie, sed ex mere gratuita misericordia sine respectu ad merita, ut causam Deus ordinaverit dare istis beatitudinem et iustitiam, restat dubium de preordinatione ad beatitudinem et preordinatione ad caritatem pro via ad quod istorum prius ordinaverit loquendo de prioritate secundum ordinem rationis, vel intelligentie naturalis, et quasi secundum ordinem causalem an primo pure gratis prevolverit dare isti beatitudinem et consequenter, quia secundum leges eternas caritas et iustitia requiritur pro via ad habendum beatitudinem pro patria, ideo Deus ordinaverit dare isti gratiam pro via. An e converso, Deus preordinaverit dare primo gratis isti iustitiam in via et consequenter, quia iustitia facit dignum beatitudine et meretur beatitudinem, ideo ordinaverit ei dare beatitudinem. Prior conclusio est illa quam Augustinum communiter disputat contra pelagianos, sed de ultima conclusione sancti videntur parum tractasse. Probatur, **[370a]** igitur, conclusio sic: ordinate volens alicui tam finem, quam media ad finem, ideo vult media ad finem, quia vult finem potius quam econtra, prius enim vult finem quam mediam ad finem, quia finis est primum in intentione, et maxime si simpliciter et absolute velit illi talem finem, et illa media velit non propter se absolute, sed propter illum finem et in ordine ad huiusmodi finem. Sic est in proposito, igitur.

Preterea, ille modus predestinationis attribuendus est Deo, qui magis elongatur ab errore ponente Deum predestinasse aliquos propter merita previsa. Sed hoc est si primo pure gratis prevolverit dare isti beatitudinem absque respectu ad meritum per modum rationis causalis quam quod preordinaverit isti dare beatitudinem, quia prius voluit ei dare caritatem aliquam meritoriam beatitudinis, et ita propter aliquod meritum previsum, licet illud meritum sit donum Dei.

Preterea, ille modus predestinationis magis attribuendus est Deo, qui magis consonat divine gratuite bonitati et misericordie, quia sancti nituntur predestinationem attribuere, aut solum, aut principaliter gratuite Dei voluntati. Sed hoc est magis ad commendationem gratuite misericordie et liberalitatis divine. Si Deus primo voluit istum ordinare ad beatitudinem et ei conferre gratis summum bonum ei possibile, et consequenter ordinaverit ei dare quedam minora bona

dispositiva ad illud principale donum, quam quod solum prevoluerit primo ei conferre aliquod minus donum, quo, si bene utatur, velit ei dare maius bonum quasi mercedem pro merito.

Preterea, Deus predestinavit istum ad beatitudinem non propter fidem futuram, igitur pari ratione, nec propter spem et caritatem, que sunt virtutes theologice. Antecedens patet supra secundum Augustinum.

Preterea, ad hoc est glossa superius allegata, “elegit enim nos, non quia futuri sancti et iusti et immaculati”.

Item, Augustinus *De fide ad Petrum*, capitulo 3, “illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate predestinavit ad regnum, quia enim eos predestinatio preparavit, ut in regno Dei essent, preparavit utique ut obedient, preparavit iustificandos ut accepta gratia credant et bene vivant”.

Contra duas conclusiones ultimas, et primo sic contra quartam, dicit enim Augustinus *De predestinatione contra pelagianos*, circa principium: “quidquid Deus antequam sit predestinat prescit, et ideo predestinat, quia quale futurum sit prescit. Idcirco ait Apostolus “quos prescivit, hos et predestinavit”, Romanos 8.

Secundo, Origenes *Super epistolam ad Romanos*, tractans illud Romanos 8, “quos prescivit, hos et predestinavit fieri conformes etc”, sic ait: “evidenter ostendit Apostolus, quia quos Deus prescivit tales futuros, ut se Christo in passionibus conformarent ipsos etiam conformes et similes imagini predestinavit, et glorie preceedit, igitur prescientia Dei per quam noscuntur, qui in se labores et virtutes habituri sunt, et ita predestinatio sequitur, quod enim apud homines uniuscuiusque meritum pensatur ex preteritis gestis, hoc apud Deum iudicatur ex futuris”.

Tertio, super illud Romanos 9, “misericordiam prestabo ui misebor”, ponit glossa de Saul et dicit quod Deus hunc reprobavit et illum elegit, quia prescivit bonum [370b] usum gratie Dei in David, et prescivit abusum gratie futurum in Saul; et super illud Romanos 9, “in vasa misericordie que preparavit in gloriam”, glossa: “Deus de prescientia pharaonem damnandum censuit, sciens eum non se correcturum, Apostolum vero Paulum elegit prescius utique quod futurus esset fidelis”. Deinde, per rationem primo ille modus predestinandi est Deo acceptandus, qui videtur magis esse conveniens et rationalis et magis esse secundum dictamen recte rationis, sed huiusmodi est Deum predestinasse distincte istos, et non illos, propter merita et iustitias

istorum previsa, et quia intellectus divinus ex certa ratione hec dictet et iudicet, et ita quod divina voluntas habeat cur et propter quid rationabile quam quod absque differentia previsa inter istos et illos, et sine respectu ad merita differentia huius et illius, Deus ex sola voluntate istos acceptet ad beatitudinem, et illos abiciat et deserat. Hic enim modus magis videtur consonare vel appropinquare acceptatori personarum, et magis remotus ab electionibus et preordinationibus sapientum hominum. Si enim homo sapiens presciret hunc malum futurum perseveranter et illum bonum futurum, et presciret hominum mores futuros, non hunc eligeret in famulum, vel adoptaret in filium, sed e contra, propter mores futuros huius et illius prescitos. Modus autem ille videtur rationabilior, qui est magis conformis actibus hominis sapientis et boni.

Secundo, in omni opere divine misericordie concurrunt iustitia, igitur in predestinatione concurrunt iustitia, igitur aliqua ratio et aliquod meritum tamquam propter quod iustum est hunc eligi magis quam illum. Antecedens probatur per illud Psalmum, “universe via Domini misericordia et veritas, et quia iustus Dominus in omnibus viis suis”.

Tertio, propositis ab eterno divine voluntatis duobus hominibus in puris naturalibus abstrahendo a meritis futuris, si preter respectum ad merita Deus hunc eligit ad beatitudinem, et illum non eligit, sequitur quod illum reprobatur, non propter demerita, quod reprobatur questione sequenti. Consequentia probatur, quia, si illum non eligit, igitur non relinquit et abicit, igitur reprobatur, et quia aliquem actum voluntatis habet circa illum, et ita, vel eligit, vel reprobatur, et quia oppositorum immediatorum negare unum est ponere alterum. Sed esse damnandum vel salvandum sunt opposita immediata, quia Deus preordinavit hominem non esse creandum, nisi salvandum vel damnandum.

Quarto, sequitur non esse inconveniens Deum salvare istum de facto sine meritis, et illum damnare sine demeritis. Probo ex quo non est inconveniens Deum ordinare istum ad beatitudinem et non illum non propter differentiam meritorum. Non enim magis videtur remotum a ratione quod hunc beatificaret et non illum sine respectu ad differentiam meritorum, quam quos beatificare preordinaverit. Probatur consequentia, quia ex quo predestinatio preintelligitur meritis vel demeritis, sequitur quod per accidens et impertinens est bene vivere vel non bene vivere ad predestinationem vel negationem predestinationis. Probatur etiam, quia, si sola voluntas alicuius opificis est ratio quare circa plures materias sibi oblatas differenter et inequaliter operetur absque respectu ad differentiam quamcumque materie, non minus faceret

de illis materiis differentia, et ageret difformiter quamvis nulla differentia et difformitas concomitanter esset in illis materiis, patet de fingulo et de diversis vasis ex luto, et ex opposito arguitur sic: Deus istum predestinavit et beatificare ordinavit non propter merita, sed absque meritis et absque respectu ad merita. Ergo, beatificabit non propter merita, sed absque meritis et absque respectu ad merita istius, non minus quam absque respectu ad merita alterius vel ad albedinem istius.

Quinto, distinctio et differentia predestinatorum a non predestinatis provenit ex iudicio Dei iusto et occulto et investigabili ab homine, et habet rationem occultam hominibus et provenit ex occultis meritis creature rationalis, igitur non precise ex gratuita Dei voluntate, nec precise, quia sic placet. Consequentia patet, quia si non esse aliqua ratio, nec propter quid, nisi quia Deus vult facile esset hominibus reddere rationem, nec proveniret illa differentia ex iudicio occulto, quia si ex iudicio, igitur, quia intellectus antecedenter, sic ex ratione dictat faciendum. Antecedens probatur primo per Augustinum, 83 Questionibus, questione 68, ut supra allegatur contra primam conclusionem. Secundo, super illud Psalmum 30, “in manibus tuis sortes mee”, glossa Augustini: “in tua potestate atque notitia sunt sortes mee, id est causa et ordo electionis hominibus occultus, non enim video cur me de impiis elegisti, et si iustus et occultus ordo electionis apud te est, sed hoc me latet”. Patet idem per Apostolum Romanos 2, “O, altitudo divitiarum etc”. Et Psalmum, “iudicia tua abyssus multa”, et secundum glossam loquitur ibi de electione et reprobatione.

Sexto, Deus ex tempore ideo dat et dare vult isti beatitudinem, quia meruit, igitur ideo ab eterno volebat dare et erat daturus, quia iste erat meriturus. Consequentia patet, quia ex eadem causa futura erat daturus ex qua dat presenti, et dare vult in presenti, et propter illam causam dabit propter quam preordinavit dare. Antecedens probatur: tum quia premium redditur propter merita preterita, et ideo dicitur merces illa beatifica, quia propter merita redditur. Premium enim dicit respectum ad meritum, sicut punitio ad demeritum; tum quia Matthei 25, “venite benedicti Patris mei etc, esurivi enim etc”, et ibidem, “quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam intra in gaudium Domini etc”.

Septimo, ille predestinatur propter merita, qui meretur suam predestinationem. Electus est huiusmodi, igitur. Maior patet, quia illud confertur propter merita, quod homo meruit. Minor probatur, tum quia secundum Augustinum *De predestinatione contra pelagianos*, “predestinatio

adiuvantur orationibus sanctorum et orationibus propriis”, tum quia esse predestinatum et habere finalem perseverantiam sunt idem. Sed homo meretur finalem perseverantiam, quia observando precepta et cavendo transgressionem, meretur stare et conservari in gratia, igitur perseverare, tum quia fore beatificandum et esse predestinatum sunt idem.

Deinde, contra quartam et quintam conclusiones simul. Primo, ideo Deus predestinavit dare isti remissionem peccatorum et gratiam iustificantem, quia iste erat futurus penitens et meriturus veniam per penitentiam et attritionem, ergo ideo erat daturus beatitudinem, quia erat meriturus per gratiam et iustus futurus. Consequentia patet, quia non minus dabitur beatitudo propter meritum ex gratia, quam remissio peccati propter penitentiam vel attritionem precedentem. Antecedens probatur, quia isti remittit peccatum et dat veniam, quia penitet vel conteritur et revertitur, igitur ideo erat sibi gratia infundenda, quia erat futurus penitens eadem enim causa dicitur secundum esse fuisse et fore, secundo Posteriorum.

Secundo, ab eterno Deus non ordinavit beatitudinem alicui conferendam nisi digno, sed non intelligitur dignus nisi propter merita vel iustitiam, igitur non ordinavit beatitudinem conferendam, nisi propter merita vel iustitiam.

Tertio, sicut ordinatio et acceptatio ad beatitudinem secundum quid et pro tempore se habet ad iustitiam et meritum secundum quid et pro tempore, sic acceptatio ad beatitudinem simpliciter et eternaliter ad meritum et iustitiam perseverantem et permanentem, sed illa est propter iustitiam et meritum temporale et non permansivum. Probo, quia cum reprobus est in gratia, tunc est acceptus ad vitam eternam et dignus vita eterna, secundum presentem et temporalem iustitiam et pro dispositione in qua est pro tunc, cum autem per demerita cadit a gratia, non amplius est acceptus ad vitam eternam.

Confirmatur: propter illud acceptatur et ordinatur quis a Deo ad vitam eternam, propter cuius variationem et mutationem fit quis de non accepto acceptus et econtra. Sed iustitia et merita sunt huiusmodi, quia dum est in gratia acceptatur, dum non, non.

Quarto, propter illud acceptatur homo a Deo ad beatitudinem, propter cuius augmentationem et diminutionem et differentias proportionabiliter, magis et minus acceptatur ad beatitudinem, et ad maiorem et minorem beatitudinem, iustitia et merita sunt huiusmodi, ideo enim iste est magis

acceptus et ad maiorem beatitudinem et differentem, quia maiora vel minora merita et differentia habet vel habiturus est, puta per virginitatem vel martirium etc.

Quinto, probatur quod nec ordinavit Deus dari homini iustitiam et merita, quia eum preordinaverit ad beatitudinem, nec econtra, sic non ordinavit istum ad tantum gradum gratie et meriti, quia predestinaverit eum ad tantum gradum beatitudinis, nec econtra, ergo pari ratione de ordinatione ad beatitudinem vel iustitiam simpliciter et absolute. Antecedens probatur, quia aliter Deus limitasset istum ad tantum gradum gratie et meriti precise ex sua ordinatione et determinatione, et per consequens ideo iste tam bene precise egit, et non melius vixit, nec amplius profecit, et opera meliora consilii et perfectionis, ideo non fecit, quia Deus per preordinationem suam limitavit et artavit eum et terminum posuit. Consequens est falsum, quia Deus est paratus influere et adiuvare ad maiora et maiora opera, immo fugerit et invitat et inspirat et incitat, consulens etiam huiusmodi meliora.

Sexto, si Deus preordinat ad hoc propter illud, sequitur quod Socrates necessario beatificatur. Probo, quia hoc sequitur ad antecedens necessarium per consequentiam necessariam. Probo, quia sequitur Socrati confertur gratia propter beatitudinem et propter predestinationem ad beatitudinem, igitur habebit beatitudinem. Oppositum enim consequentis non stat cum antecedente, et antecedens est necessarium, quia transit in preteritum. Iam enim collata est ei gratia ex causa et ratione hac, scilicet propter beatitudinem. **[372a]**

Deinde, specialiter contra quintam conclusionem, isti reprobis dat gratiam, non ideo quia preordinaverit eum ad beatitudinem, cum non sit predestinatus, igitur nec illi electo. Consequentia probatur, quia ex eadem causa et ratione videtur dare isti, et illi supposito quod prius essent equaliter digni et equalia opera egissent, et quia eque gratis dat isti et illi.

Confirmatur: illud non est causa et ratio quare datur homini gratia, quo circumscripto ceteris paribus homo non minus esset accepturus gratiam a Deo, sed circumscripto quod iste sit predestinatus ad beatitudinem, nihilominus conferretur ei gratia post taliter vivere, quia multis reprobis confertur, et quia eque est dignus iste reprobis recipere gratiam vel augmentum gratie per bona opera meritoria, sicut ille electus, immo interdum magis quia melior, igitur.

Ex hoc apparet quod non universaliter ordinate volens vult prius dare finem quam ens natum esse ad finem, quia iustitia in presenti est ens ad beatitudinem ut medium ad finem, et tamen interdum datur a Deo alicui Deus non vult dare beatitudinem.

Similiter, sapiens vult dare et dat isti doctrinam vel doctorem, ut idoneus existens promoveatur ad *b* dignitatem, et tamen non vult simpliciter et determinate ei dare *b*, sed tantum si bene usus fuerit priori bono vel dono, quod est medium ordinabile ad talem finem.

Pro responsionem ad istam sciendum quod in proposita questione sunt duo modi dicendi contrarii. Primus est quod ita est de predestinatione, quo modo si presuppositis legibus quod nullus promoveatur ad episcopatum, nisi fuerit dignus et sufficiens, et nisi fuerit sacerdos, nec fiat sacerdos, nisi fuerit diaconus, nec diaconus, nisi prefuerit subdiaconus, nec subdiaconus, nisi prefuerit competenter instructus, et supposito quod in potestate mea sit conferre omnia ista concurrente libero arbitrio hominis, tunc sic: Petrus puer mihi secundum intellectum offertur ego ex gratuita voluntate intendo et volo ex nunc dari sibi pro tali tempore *b* episcopatum, et quia iuxta leges positas exigitur quod sit sacerdos, ideo volo et ordino ipsum promoveri ad sacerdotium, et quia ad hoc pervenietur per diaconatum et subdiaconatum, ideo consequenter in mente ordino ipsum promoveri ad ista. Et quia preexigitur quod sit instructus et idoneus ordino ei tradere doctorem, in isto igitur processu primum donum in intentione et preordinatione huiusmodi est *b* episcopatus tamquam finis, sed primum in executione erit assignare Petro doctorem. Sic in proposito primum donum in divina preordinatione est donum beatitudinis talis et tante ex mera gratuita Dei liberalitate tamquam finis optimum, et quia secundum leges presuppositas medium principaliter necessarium ad talem, et tantam gloriam est tanta gratia, ideo Deus preordinavit dare isti tantam gratiam, et consequenter preordinat varios modos, quibus simul vel successive perveniatur ad talem et tantam gratiam illi modi sunt vocatio ad gratiam baptismalem, sic operari, sic resistere, sic resurgere etc. Hunc ordinem videtur innuere Apostolus Romanos 8, quos predestinavit hos et vocavit, et quos vocavit hos et iustificavit [372b], quos autem iustificavit hos et magnificavit, ita quod primum et ultimum donum hic positum est beatitudo, que est primum in intentione et ultimum in assecutione.

Item, huic modo consonat glossa super illud Romanorum, octavo capitulo, “omnia cooperatur in bonum hiis, qui secundum propositum vocati sunt sancti”, glossa quasi dicat quod vocati sunt non aliunde est quam a predestinatione Dei, et inde est quod omnia cooperatur eis in bonum non

ex meritis eorum. Secundum autem contrariam opinionem, sic est de predestinatione divina, quo modo presuppositis legibus supradictis, pono quod Petrus intellectui meo offeratur et ego primo volo simpliciter ei assignare doctorem, ut fiat idoneus ad subdiaconatum, et si profecerit, promovebo eum ad diaconatum, et consequenter ad sacerdotium, et tandem ad episcopatum, ita quod in isto ordine intellectuali primum donum est assignatio doctoris, et ultimum, quod est simpliciter volitum ei, est episcopatus, immo nondum volo ei simpliciter et determinate episcopatum, sed simpliciter volo ei assignare doctorem. Et si nunc prescirem qualis futurus esset, adhuc prius naturaliter vellem ei assignare doctorem, et, quia scirem eum profecturum, vellem ei gradum subdiaconatus, et, quia scirem eum bene usurum subdiaconatu, vellem ei consequenter etc. Consimiliter, oblato Petro intellectui divino, Deus primo vult ei conferre naturalia ad bene utendum, et quia videt eius bonum usum futurum, ordinat ei dare gratiam, et quia videt eum bene usurum gratia et perseveraturum in ea, ideo ordinat ei dare beatitudinem, ita quod primo ei volitum secundum gratuitam predestinationem est bonus usus naturalium vel gratia aliqua que facit dignum beatitudine, vel que est initium merendi.

Posite autem sunt conclusiones supra iuxta primum modum, qui magis consonat doctrine Augustini, qui speciali diligentia videtur tractasse hanc materiam. Primus etiam modus magis commendat Dei gratuitam misericordiam, magis etiam consonat humane rationi ut scilicet finis sit primo volitum in casu quo finis et media ad finem sunt simpliciter et determinate volita et prescita et in potestate ordinantis.

Ad primum, contra ambas conclusiones potest dici quod illud habendum est pro retractato, quia simile retractat primum retractativum, capitulo 22, vel dicitur quod loquitur generaliter de predestinatione, ut est predestinatio futurorum, non tantum circa homines, sed etiam circa quodcumque futurum. Et intendit Augustinus quod convenienter ponimus Deum omnia preordinare, quoniam ipse novit omnia futura et eum nihil latet, ideo apud ipsum non apud alium residet preordinatio futurorum.

Ad secundum, sicut Augustinum, aliquando idem sentiens. Postea, retractavit illud ita docuit, nos omnem similem doctrinam, cuiuscumque esse retractandam.



Ad tertium, conceditur quod Saul reprobatus est propter demerita prescita et quod David non est reprobatus, cum non presciretur malus futurus finaliter, sed cum presciretur bene victurus, non tamen propter hoc est predestinatus.

Ad primam rationem, negatur minor. Ad probationes eque probarent quod Deus non potest conferre **-[373a]-** re aliquam gratiam gratis, nisi precesserint merita tamquam causa et ratio propter quam iustum esset prius gratiam huiusmodi conferri. Dico, igitur, quod non oportet specialem rationem precedere et presupponi ex parte hominis ordinativi divine voluntatis circa beneficia futura. Sufficit enim quod concomitetur ratio divini intellectus conformis, preintelligitur etiam ratio et dictamen in generali, quia ratio divini intellectus dictat quod illi iustum et rectum est conferri gratiam cui conferri divina voluntas ordinaverit. Secus est de voluntate creata, que subiecta est alteri legi et regule per quam debet regulari.

Ad secundum, dicendum quod concurrunt iustitia, id est rectitudo ordinationis et ratio seu iudicium intellectus divini, cui conformis est illa ordinatio. Sed non oportet concurrere talem iustitiam que est dictamen intellectus previum illi ordinationi tamquam regula et mensura illius que dictet sic, et non aliter debere fieri ex determinata causa, quod autem Deus iustus sit etiam in conferendo misericorditer et parcendo non solum in puniendo, declarat Anselmus Proslogion, 8 et 10 capitulis.

Ad tertium, dico quod si in eternitate divino intellectui offeruntur duo, ut ambo nascentur cum originali et reatu damnationis contingit, quod preordinet unum liberare per gratiam baptismalem et alterum punire ex iustitia. Dico etiam quod simpliciter et absolute loquendo in eternitate non offeruntur divino intellectui duo, quorum unum eligat et alterum reprobet, quin etiam simul offerantur demerita reprobat, ideo nec reprobet nisi propter demerita. Si tamen loquamur de representatione talium hominum futurorum apud divinum intellectum abstrahendo ab omni respectu ad merita vel demerita futura, sic diceretur quod, stando in ista abstractione Deus gratis hunc eligit ad beatitudinem, illum vero non eligit, nec reprobet formaliter et positive contrarie, nec deputat ad penam. Sed non eligit approbando et acceptando probationes, procedunt loquendo simpliciter, non secundum huiusmodi abstractionem.

Ad quartum, negatur consequentia. Ad probationem non damnat, nisi propter demerita, licet autem non predestinet propter merita, tamen ex ordinatione divina eterna sic est quod nulli conferretur, nisi prius illo dignificato per quedam alia dona.

Ad quintum, cum dicitur quod Deus ab eterno preordinavit dare beatitudinem isti, quia erat meriturus vel propter merita futura, cum etiam dicitur quod Deus ex tempore dat ei beatitudinem propter merita, et quia meruit li ‘propter quid’, et quia possunt notare causalitatem finalem, et sic negatur, quia merita non sunt causa finalis respectu beatitudinis, sed econtra. Alio modo possunt notare quasi causalitatem motivam et incitativam et tamquam causam propter quam previsam et preapprobatam intellectus dictat et iudicat sic esse faciendum et ordinandum a voluntate, et sic adhuc negatur. Alio modo possunt notare quasi causalitatem materialem et dispositivam ad finem, qui est principaliter prevolitus et tunc huiusmodi causalitas in meritis potest referri ad predestinationem, vel ad eternam preordinationem divinam vel ad actualem dationem et receptionem beatitudinis temporalem. Si primum negatur quod propter merita preordinaverit, aut quod ideo preordinaverit et predestinaverit, quia merita vel iustitiam dignificantem previderit. Si secundum con -[373b]- ceditur quod ex tempore dat propter merita, et consequenter quod ab eterno preordinavit dare beatitudinem ex tempore propter merita, ut li ‘propter merita’ determinet li ‘dare ex tempore’, et non ut determinet li ‘preordinavit’. Et accipiendo etiam li ‘propter merita’ pro causalitate materiali dispositiva, licet enim ab eterno preordinaverit dare beatitudinem ex tempore propter merita, non ut causam prevolitam et preordinatam isti, et previsam, et preapprobatam in isto, sed dare ut propter dispositionem materialem prerequisiteam, non tamen preordinavit et prevoluit propter huiusmodi causam.

Exemplum ut in casu supradicto cum volo Petro *b* episcopatum primo et principaliter, etiam quia volui ei episcopatum, consequenter volo eum habilitare et disponere, et episcopatum conferam propter sufficientiam et doctrinam, ut propter dispositionem causalem materialiter, non ut causam motivam et prevolitam ipsi Petro.

Ad rationem, igitur, concesso antecedente de causali materiali dispositio, tamquam medio ad finem prevolitum et preordinatum, si in consequenti li ‘quia erat meriturus’ determinet li ‘volebat’ et referatur ad ordinationem eternam, negatur consequentia. Si determinet actum dationis temporalis, qui est obiectum illius ordinationis, conceditur consequens de huiusmodi causalitate, et conceditur quod ex eadem causa dat, et daturus erat, non tamen ex eadem causa

preordinavit ex qua dat, vel dabit quod enim est aliquo modo causa per modum dispositionis materialis, quare vel dabit nullo modo est causa quare prius prevoluit et preordinavit. Cum enim dicitur quod dat propter merita notatur in ipsis meritis, vel in ipsa gratia, quedam causalitas materialis respectu beatitudinis collate vel conferende, non respectu primarie ordinationis et donationis beatitudinis in proposito voluntatis.

Ad sextum, si antecedens intelligitur de predestinatione eterna ad finalem beatitudinem, et si intelligitur ex occultis meritis, sicut ex ratione et causa propter quam previsam et quasi motivam Deus ordinat hunc ad beatitudinem, negatur antecedens. Ad probationes, aut loquitur de promotione speciali, et de desertione alicuius peccatoris in via quibusdam meritis, vel intelligitur de meritis tamquam causa dispositiva materialiter sine qua non ordinaretur ad beatitudinem, vel non conferretur gratia vel beatitudo, aut ille auctoritates intelliguntur quod iudicium et ratio huiusmodi latent nos, quia non est nobis evidens, an iste eligatur propter merita, et ille non eligatur propter demerita vel negationem meriti futuri. Licet enim posita sit conclusio tamquam probabilior quod predestinatur quis gratis non propter merita futura, tamen adhuc occultum est nobis propter quid et ratio predestinationis huius, non illius, quia non per hec evacuata et evidenter certificata est difficultas presentis dubii.

Item, occultum est nobis que sint merita huius et illius, et que differentia in meritis eorum, non solum futuris, sed etiam presentibus et preteritis, ideo occultum est nobis quare isti datur finalis perseverantia et beatitudo, et illi non.

Item, occultum est nobis an Deus vocet istum ad beatitudinem ex aliquo bono usu preterito et ratione aliquorum bonorum actuum moralium extrinsecorum vel intrinsecorum, vel ex respectu ad aliquem bonum usum futurum, vel ex mera gratia sine ratio **-[374a]-** ne ex parte huius vel illius, vel ex ratione generali ad ostensionem sue misericordie, et sue iustitie in diversis, quamvis igitur sit aliqua ratio nobis non certa sive specialis, sive generalis, non tamen oportet quod semper sit differentia meritorum prescitorum.

Ad septimum negatur minor, loquendo de predestinatione, que est eterna divina preordinatio. Probationes autem procedunt de predestinatione pro effectu temporali predestinationis.

Deinde, ad illa que sunt contra utramque conclusionem.

Ad primum, negatur antecedens, sicut enim primo vult isti beatitudinem tantam et talem quam gratiam talem vult, enim et ordinat conferre tantam gratiam, tamquam medium ad finem prevolitum, ita gratia, que est immediatus finis meritorum ad ipsam disponentium, est prevolita respectu predestinatorum, sicut in casu suprapposito prius volo isti dignitatem sacerdotii quam dispositionem materiale requisitam ad illam. Ad probationem, cum dicitur ‘ideo dat isti remissionem et iustificationem quia penituit’, dicendum quod, si notetur in penitentia et quasi attritione causalitas materialis dispositiva respectu effectus, qui est remissio et gratie iustificantis infusio, conceditur. Nec ex hoc sequitur quod Deus ab eterno voluerit et preordinaverit istum ad hanc gratiam iustificantem propter penitentiam, et quia erat penitens penitentia, enim futura non erat causa preapprobata et prevolita et incitativa ad volendum isti hanc gratiam, immo econtra iste penitet et attritur et revertitur, quia Deus preordinavit iustificare et revocare.

Dices, igitur, Deus quosdam predestinavit ad beatitudinem propter merita prescite eo modo quo reprobavit quosdam ad penam propter demerita previsa, quia non notatur hic, nisi causalitas materialis dispositionis in prescito respectu damnationis, et non causalitas motiva vel incitativa divine voluntatis ad reprobandum, quia divina reprobatio eterna non causatur, nec divina voluntas movetur.

Respondeo: negatur consequentia, Deus enim ab eterno istum sic reprobat et deputat ad penam propter demerita futuram prescita, quod isti deputationi ad penam preintelligitur, et secundum ordinem rationis et intelligentie naturalis presupponitur peccatum istius futurum previsum prius reprobatum, ita quod quamvis non sit ibi vere et simpliciter causalitas illius reprobationis eterne, tamen est ibi quasi causalitas predicativa et incitativa, quoniam si in Deo esset distinctio actuum, tunc prescientia demeritorum causaret in voluntate actum reprobandi et deputandi ad penam, sic autem non est ex ordinatione beatitudinis, sed primo et immediate ex mera gratuita donatione ordinat istum ad beatitudinem.

Ad secundum, si in consequente li ‘propter de merita’ referatur ad eternam ordinationem et determinet li ‘ordinavit’ vel li ‘voluit’, negatur consequentia. Si vero determinet li ‘conferendam’ et referatur ad actualem et temporalem dationem et receptionem, et notetur solum causalitas materialis dispositionis ad finem prevolitum, conceditur consequens.

Ad tertium, potest negari maior. Secus enim est de acceptatione ad beatitudinem secundum eternam predestinationem, et secundum iustitiam et dispositionem presentem tantum, quia iste non dicitur acceptus ad beatitudinem sic quod Deus absolute [374b] velit ei beatitudinem, sicut simpliciter et absolute vult alteri, vel potest dici quod eo modo quo voluntas divina habet actum respectu istius reprobis existentis in gratia, ut comparati ad gratiam et gloriam, et sub conditione et secundum quid vult isti beatitudinem, primo et principaliter et hanc gratiam propter beatitudinem sic prevolitam magis quam econtra.

Ad confirmationem, loquendo de acceptatione secundum eternam predestinationem, negatur minor.

Ad quartum, negatur minor. Si notetur quod differentia meritorum et iustitie sit non solum concomitans et prerequisites tamquam materialis dispositio respectu temporalis receptionis beatitudinis, sed etiam ratio causalis prevolita et quasi incitativa ad volendum isti talem et tantam beatitudinem, sed potius est econtra.

Ad quintum, negatur antecedens. Ad probationem, Deum determinasse et limitasse Socratem ad tantum gradum meriti, vel gratie potest intelligi proprie et stricte, scilicet impossibilitando Socratem ad amplius meritum, et per subtractionem et refutationem influentie et auxilii, quamvis non staret ex parte Socratis, et quamvis faceret quod in se esset est, et quidquid posset ad amplius merendum, et sic negatur, quia Socrates relinquitur sue libertati ad melius vivendum, et influentia Dei generalis et etiam specialis qualis est parata respectu communium iustorum est Socrati exposita. Aliomodo, per solam negationem ordinationis absolute ad maiorem gratiam et ad maiora beneficia gratuita, tamen cum oblatione et expositione auxilii ad maius meritum, et sic conceditur, nec ultra sequitur quod ideo iste non melius egit, quia Deus ipsum artavit et limitavit ad terminum minorem, quia hec causalis denotat quasi refutationem et repulsam antecedentem ex parte Dei, quamvis non staret ex parte creature.

Ad sextum, negatur consequentia. Ad probationem antecedens non est simpliciter necessarium. Licet enim implicet aliquid necessarium et preteritum, scilicet collationem gratie preteritam implicat, tamen quoddam futurum contingens, scilicet quod fuerit collata propter beatitudinem conferendam, vel propter predestinationem ad beatitudinem futuram quam Deus daturus est.

Deinde, ad illud specialiter contra quintam conclusionem, negatur consequentia. Ad probationem, dicendum quod aliquo modo ex eadem causa finali dat gratiam electis et reprobis, licet aliter et aliter. Omnes enim ordinat ad beatitudinem, large loquendo de ordinatione sive pro intentione et volitione simplici et absoluta, sive conditionali, sive secundum quid, sive antecedenti, sive consequenti, et gratia huius finalis beatitudinis dat gratiam etiam reprobis, quia quantum in se est dat gratiam tamquam medium dispositivum ad beatitudinem, si illi non abutantur et libere et voluntarie eam deserant, tamen dat electis gratiam propter beatitudinem tamquam propter finem simpliciter et determinate eis prevolitur, reprobis autem propter beatitudinem sic volitam, quo modo omnes homines vult salvos fieri.

Ad confirmationem, negatur minor, loquendo de collatione et acceptione gratie secundum quod fit in electis, quia confertur eis ut finaliter remuneranda maxime, si penitens resurgit in equali gratia, et si merita mortificata reviuscunt, loquendo autem gene- [375a] -raliter de quacumque collatione vel acceptione gratie, negatur maior. Potest enim conferri ex pluribus causis, aut non propter omnino consimilem habitudinem ad illam causam.

Ad aliud quod additur, dicendum quod omnis ordinate volens aliqua propter finem simpliciter et determinate volitum vult prius et principaliter illum finem maxime volens per gratuitam donationem, sic autem est de electis. Sed interdum aliquis vult quedam propter finem aliquem volitum non simpliciter et absolute et determinate, sed secundum quid et sub conditione vel in generali et in confuso, vel secundum velle signi, quia significant quod quantum est ex se vellet illum finem, si non prestaretur aliunde impedimentum, et adhuc isto modo volendi secundum quid, prius vult finem, licet illum non velit simpliciter, et tamen aliquod quod natum esset esse medium vult simpliciter, sicut de reprobis. Ordinatur enim eos aliquo modo ad beatitudinem et propter beatitudinem dat eis gratiam non tamquam propter finem prevolitur eis simpliciter et determinate, sed secundum quid et conditionaliter dat etiam eis gratiam propter aliquem finem simpliciter volitum, scilicet ad communicationem et manifestationem sue bonitatis et ad gloriam suam, vel ad aliquem alium finem sicut interdum sapiens et liberalis vult dare beneficium etiam illi quem non credit nec sperat, nec presumit futurum, gratum, vel bene usurum.

Ex predictis patet quod beatitudo datur anime gratis, non solum quia non meruit de condigno secundum districtum rigorem iustitie, nec Deus obligatur dare quin posset non dare absque iniustitia, nec solum quia gratis antecederet dedit potentias naturales et opera et gratiam per

quam mereretur \*, etiam quod merita sunt dona Dei, nec etiam solum, quia gratis prius promisit beatitudinem dare propter talia opera, vel post talia opera, et quia gratis acceptavit talia opera ad tantam mercedem, sed etiam quia primo et immediate prevoluit isti beatitudinem dare propter talia opera, vel post talia opera, et quia gratis acceptavit talia opera ad tantam mercedem, sed etiam quia primo et immediate prevoluit isti dare beatitudinem, non quia previderet eius merita futura propter que intellectus predeterminaret ipsum esse iuste beatificandum, et dignum vita eterna, sed mere ex gratuita voluntate et liberalitate.

Ad argumentum in principio questionis, patet ex dictis.

Ad primum contra primam conclusionem.

Sequitur secunda questio. **[375b]**

Secundo, quero utrum Deus ab eterno reprobaverit aliquos propter eorum demerita futura prescita. Quod non, super illud Romanos 9, *numquid iniquitas est apud Deum*, Glossa de Iacob et Esau sic ait: “nemo dicat Deum, quia opera futura previdet, alterum elegisse, alterum reprobasse”. Contra: in presenti damnat reprobum propter demerita presentia, igitur prius deputavit ad damnationem propter demerita futura.

Notandum quod reprobatio eterna divina potest accipi pro non velle simpliciter dare beatitudinem, et consequenter pro non velle dare media antecedenter necessaria et sufficientia ad beatitudinem, ut intelligatur mera negatio volendi dare beatitudinem. Secundo, potest accipi pro nolle formaliter dare beatitudinem et pro repulsa et refutatione positiva et formali a beatitudine, et consequenter pro nolle misereri et conferre auxilium necessarium seu pro velle formaliter deserere. Tertio modo, pro deputatione ad penam eternam.

Item, in hac questione non pono conclusiones per modum assertionis, sed inquisitionis probabilis, ut in precedenti questione dictum est.

Prima conclusio: Deus ab eterno non preordinavit aliquos fore reprobos, preordinando eos fore malos, vel preordinando mala eorum futura, sicut preordinavit aliquos fore electos et bona electorum futura. Probatur per Augustinum, De predestinatione contra pelagianos, dicentem: “dicimus Deum prescivisse misericordia non meritis quos electione gratie preordinavit et predestinavit ad vitam, ceteros vero prescivisse tantum vitio proprio perituros, non ut perirent predestinasse, sequitur tenenda est inconcusse huiusmodi disputationis regua peccatores in

malis propriis antequam essent in mundo prescitos esse tantum non preparatos vel predestinatos”.

Item, super illud Romanos 8, *quos prescivit et predestinavit*, Glossa: “non sicut preparavit sanctos ad iustitiam percipiendam, sic preparavit iniquos ad iustitiam amittendam, quia iniquitas preparator numquam fuit”.

Contra: omnes effectus futuros Deus ab eterno predestinavit esse futuros, igitur et actus reproborum transgressivos precepti, igitur preordinavit eos esse reprobos et mala eorum futura. Antecedens patet, quia ad omnem effectum futurum preordinavit se concurrere, et illum productum conservare.

Secundo, Deus ab eterno preordinavit quosdam non esse impleturos, sed omissuros divina precepta, igitur preordinavit eos esse peccaturos et preordinavit eorum peccata futura. Consequentia patet, quia contingit peccare, non solum commitendo, sed obmittendo. Antecedens probatur, quia Deus istum nasciturum cum peccato determinavit ab eterno non vocare ad baptismum, igitur hunc non vocari, igitur privari, eo quod tenetur habere. Ab eterno etiam determinavit quosdam non adiuvere, et eis non coagere ad actiones necessarias ad salutem vel ad resurgendum, et determinavit eorum non misereri, sed eos deserere, igitur determinavit eos permanere in peccato, igitur habere finalem impenitentiam et obmittere penitentiam debitam. Patet per Augustinum, De dono perseverantie, circa medium: “Nam Tyrri et Sydonii credidissent, si Christi predicationes audiissent et miracula vidissent, Matthei 11, sed quoniam ut crederent non erat eis datum etiam unde crederent est eis negatum”. Et consequenter ponit ibi Augustinus quod “quidam habent a Deo donum ingenii naturalis quo moverentur ad finem, si cum gratia fidei verba audirent et signa viderent, et tamen quia non sunt predestinati eis non adhibentur dicta vel facta per que credere possent”. Ex quibus patet quod ideo non credunt, nec habent quod habere tenentur, quia Deus eis negat, et non dare vult.

Confirmatur: Augustinus, De predestinatione et gratia: “Deus indurare dicitur quem mollire noluit, sic etiam excecere dicitur, quem illuminare noluerit, sic etiam repellere dicitur eum, quem vocare noluerit”.

Ad primum, loquendo simpliciter et absoluto sermone, negatur antecedens. Non enim simpliciter preordinat fore effectus qui sunt viciosi culpabiliter, hoc enim importaret Deum eos



prevoluisse secundum velle institutionis preceptive vel consultive vel imperative vel dictative, aut secundum velle approbationis et complacentie generalis, sive nolle prohibitionis et reprobationis. Accipiendo autem large et improprie preordinare pro velle secundum quid et quasi modo conditionali, et loquendo de effectibus positivis secundum positivum in eis per se causabile, negatur consequentia, quia effectus ut malus non est a Deo, nec sibi est aliquo modo ut cause attribuendus. Ad secundum, negatur antecedens. Ad probationem, licet non ordinaverit vel determinaverit simpliciter vocare istum vel coagere sibi ad conversionem vel ad resurgendum, ex hoc non sequitur quod formaliter et simpliciter preordinaverit non vocare, nec adjuvare ut notetur antecedens repulsa et refutatio ex parte Dei, quamvis non staret ex parte creature, sed paratus fuit influere, si creatura fecerit quod in se est, tamen large et improprie loquendo preordinavit non vocare, et non adjuvare ut notetur pura negatio volendi simpliciter adjuvare, sed ex hoc non sequitur illud antecedens, aut quod Deus preordinaverit hunc fore impenitentem vel permanere finaliter in peccato, et generaliter omnis huiusmodi propositio neganda est in qua terminus malitie ponitur determinatio sequens terminum divine volitionis vel ordinationis.

Secunda conclusio: Deus ab eterno quosdam ideo reprobavit, id est ad Gehennam deputavit, quia in Dei prescientia erant futuri mali finaliter, et reprobavit sic propter peccata prescita. Probatur per Augustinum, De predestinatione contra Pelagianos, dicentem: “Deus prescius futurorum non personarum acceptance, sed iudicio equitatis quosdam misericordia **[376b]** gratuita predestinat ad vitam eternam. Ceteros autem debita pena punit, quos ideo punit, quia quid essent futuri presciunt. Sequitur: Iudam enim cum prescivisset Deus in viciis proprie voluntatis pessimum fore et electione discipulatus male usurum penam ei predestinavit ex merito, et tandem concludit hec, igitur regula inconcusse tenenda est peccatores in peccatis prescitos esse non predestinatos, penam autem esse preparatam secundum quod presciti sunt, et ponitur in Glossa super illud Romanos 8, *nam quos vocavit* etc.

Preterea, Deus nullum hominem condemnat vel puniendum iudicat, nisi propter culpam et demeritum. Sed deputare ad Gehennam est condemnare et adiudicare punitio, igitur. Maior probatur, quia nihil est vere et proprie punitio alicui nisi propter culpam, et nisi secundum respectum ad culpam. Hoc enim importat nomen punitio. Hoc etiam importat nomen condemnationis, et quia punitio non videtur iusta secundum leges positas, nisi quatinus est pro

peccato secundum Augustinum, 3 De libero arbitrio, capitulo 28, et primo libro Retractationum, capitulo 1. Probatur iterum, quia Deus videretur prius ultor quam homo peccator secundum esse vel fore, et quia secundum ordinem naturalis intelligentie prius vellet et statueret hominem punire quam videret et iudicaret hominem scire peccatorem, quia ut ablatum in puris naturalibus deputaret ad penam. Consequens videtur derogare misericordie divine secundum leges positas est secundum Augustinum, 11 super Genesim, citra medium.

Preterea, non deputat istum ad maiorem penam quam illum, nisi quia iste est futurus peior, igitur et de reprobatione simpliciter.

Tertia conclusio: quos Deus ab eterno reprobavit secundo modo reprobavit propter peccata prescita. Probatur, quia hec reprobatio est obduratio per nolle misereri et per velle deserere, sed hoc est propter demerita prescita. Probatur per Augustinum in Epistola ad Fixtum: “Querimus, inquit, meritum obdurationis, et invenimus, querimus autem meritum misericordie, nec invenimus quia nullum est.”

Item, 23 questione, 4 capitulo, “obtineri cum aliquos traditos desideriis suis, aut obturatos esse legimus, aut relictos magis peccatis suis, hoc ipsos meruisse profiteamur. Sequitur autem ita nec de iudicio Dei querimus quo deserit meritos deserere et misericordie eius gratias agimus qua liberat non meritos liberari vires itaque obedientie, non ideo cuiquam subtrahit, quia enim non predestinavit. Sed eum ideo non predestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse” previdit hoc decretum Augustini.

Preterea, nulli pro presenti adulto refutat influentiam et auxilium speciale, nisi propter peccatum, igitur nec ab eterno prevoluit et preordinavit respuere et refutare et deserere, nisi propter peccatum faciens talem indignum. Antecedens patet, quia eius influenza exponitur et offertur non indignis, et ideo secundum Anselmum: “primus angelus non ideo non accepit perseverantiam, quia Deus non dedit”.

Preterea, Deus nullum odit gratis et non nisi propter demeritum, licet aliquos gratis amet et adiuvet sine meritis, sed huiusmodi reprobatio hominis, ut in puris naturalibus ostensi est quidam modus odii, iuxta illud *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, quod secundum adversarios intelligitur de huiusmodi reprobatione.

Preterea, Deus illum hominem non per se et directe et immediate absque respectu ad peccatum preordinat et predeterminat non adiuuare, et ei formaliter et positive refutare beatitudinem, quem quantum est ex se intendit creare propter beatitudinem et quem quantum est ex se voluntate antecedente ordinat ad beatitudinem, sic est de isto reprobo. Creavit enim ipsum gratia beatitudinis ut cause finalis, quia vult omnes homines salvos fieri, Ad Thimoteum, 2, quod etiam omnis creatura rationalis creatur a Deo propter beatitudinem, patet per Anselmum et Cur Deus homo, capitulo 1. Deus autem non preordinavit primo et immediate negare illi homini media necessaria ad aliquem finem, quem ordinavit quantum est ex se ad finem illum, et quem creavit quantum est ex se gratia illius finis.

Preterea, Deus non preordinavit gratis et primo sine respectu ad peccata negare et refutare auxilium ad agendum illas actiones respectu quarum dedit antecederet preceptum vel consilia invitativa. Confirmatur, 23 questione 4, ubi supra dicitur sic: “Nec Deus peccanti homini iuste inferret iram, si homo ex predestinatione Dei cecidisset in culpam, nunc autem si Deus gratis absque respectu ad culpam preordinat non misereri istius, et non adiuvari ipsum”. Videtur primo et principaliter, immo precipue ex divina preordinatione repulsiva et refutativa positive et formaliter homo foret finaliter impenitens”.

Contra duas istas conclusiones, arguitur primo super illud Romanos 9, *cum nondum nati esset*, glossa Augustini ostendit: “sicut non pro meritis precedentibus illud fuisse dictum, ita nec pro meritis futuris amborum et ita non ex operibus futuris bonis vel malis, quia bona vel mala non erant futura, nisi apposita gratia vel substracta”. Et in glossa sequenti dicit Augustinus: “nemo dicat Deum, quia futura opera providebat, alterum elegisse, alterum reprobasse”.

Item, Apostolus dicens predestinationem et dilectionem Iacob et reprobationem et odium Esau non esse ex meritis vel operibus, sive preteritis sive futuris, sed ex proposito divine voluntatis, quod intelligendum sit, non solum pro predestinatione que non est ex meritis, sed etiam specialiter pro reprobatione. Probat per dubitationem quam statim Apostolus movet dicens: *Quid igitur dicemus numquid iniquitas est apud Deum*. Hec questio nulla esset si reprobatur propter demerita, quamvis predestinaret non propter merita, ideo hec dubitatio et questio videtur introducta ab Apostolo magis ex eo quod dixerat Esau reprobari, non ex operibus, quam propter predestinationem Iacob, non ex operibus. Si enim gratis predestinat, tamen propter demerita reprobatur, ex hoc non apparet sequi quod apud eum sit iniquitas.

Item, hoc patet ex responsione et solutione quam ponit Apostolus quando adducit Scripturam, tam ad ostendendum quod Deus sine meritis miseretur, tam ad ostendendum quod alios reprobat, non propter demerita. Pro primo enim adducit illud Exodi 33, *miserebor cuius voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit*. Et pro secundo adducit de obduratione Pharaonis illud Exodi 9: *posui te ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in universa terra*. Nec valet dicere quod loquitur de meritis presentibus vel preteritis, non de futuris. Contra: tum quia Augustinus dicit quod etiam nec ex futuris, tum quia dubitatio et difficultas nulla esset, tum quia non commendatur gratia Dei, quod principaliter intendit ibi Apostolus.

Item, patet idem per correlarium quod infert Apostolus dicens, ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat, super quo Augustinus in glossa: “Obduratio Dei est non misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo -[377b]-mo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur”.

Item, patet idem per exemplum quod ibi adducit Apostolus de figulo faciente de eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Unde ex hoc exemplo potest sic argui sicut se habet figulus ad diversa vasa factibilia ex eadem massa, sic Deus ad electos et reprobos ex humano genere, sed figulus ex eadem massa facit unum vas deputandum ad usus honorificos, et aliud in contumeliam et deputando ad usus sordidos, non propter differentiam presuppositam vel preintellectam in illa materia, sed sola voluntas figuli est causa et ratio, non minus respectu vasis in contumeliam quam respectu vasorum in honorem, igitur similiter in proposito.

Secundo principaliter: sola voluntas Dei est causa et ratio sufficiens et conveniens quare creavit istos et non illos eque possibles absque differentia antecedente in illis possibilibus, igitur sola voluntas Dei est causa et ratio sufficiens et conveniens quare hos eligit ad beatitudinem, et illos reprobat et deputat ad miseriam. Consequentia probatur, quia non minor distantia est non essendi ad esse quam essendi misere ad esse beate, et quia omnino nihil esse non minor est miseria vel non minus est fugibile quam esse miserum.

Confirmatur: sola voluntas Dei est causa conveniens quare hec portio materie actuatur forma nobili, et illa actuatur forma ignobili et vili, igitur consimiliter in proposito.

Tertio, hoc esset quia oppositum non decet Dei bonitatem et misericordiam, et videretur crudelitas vel derogare divine misericordie, sed hoc non valet, tum quia innocentem ut Christum voluit pati, tum quia etiam bestie sine culpa deputantur malis, tum quia Apostolus videtur tollere

hanc rationem per exemplum de figulo, unde et post exemplum subdit quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit vasa ire apta in interitum, ut ostenderet divitias glorie sue in vasa misericordie etc.

Quarto, quidam ideo sunt non credituri, sed infideles permansuri, et ideo etiam eis negatur et refutatur a Deo auxilium per quod essent futuri fideles et iusti, quia a Deo sunt reprobati, igitur non econtra, ideo sunt reprobati quia infideles et iniusti futuri. Consequentia patet, quia non est circulus in propositionibus causalibus. Antecedens patet per Augustinum, libro De dono perseverantie, circa medium, tractatur illud Luce 10, *ve tibi Corozaim, ve tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sydone etc.* Dicit enim Augustinus quod “ideo Tyrii et Sydonii non crediderunt quia predestinati non erant, et si verbum Christi audivissent et virtutes vidissent, credidissent et penitentiam egissent. Sed quia non predestinati, sed potius reprobati erant, ideo virtutes per quas credidissent et penitentiam egissent coram eis facte non fuerunt, quia igitur non eis datum est ut fideles essent negatum est etiam eis unde crederent”.

Ex quibus patet quod non propter incredulitatem vel culpam eorum futuram fuerunt reprobati et non predestinati, sed econtra, quia erant reprobati, ideo non datum est unde crederent.

Quinto, illa reprobatio voluntaria non est propter prescientiam demeritorum sive propter demerita prescita, que reprobatio non presupponit dictamen et iudicium intellectus dictantis talem reprobationem convenienter fiendam propter demerita futura, immo que magis presupponitur tali dictamini sic est, igitur maior patet, quia ordinationi rationabili propter aliquod prescitur presupponit ratio [378a] dictans de illo prescitur. Minor probatur, quia si intellectus divinus predicaret et prius iudicaret Petrum esse reprobandum propter demerita futura quam voluntas divina determinaret huiusmodi reprobationem, sequitur quod voluntas necessario reprobabit Petrum ad penam, vel quod ipsa posset esse non recta, quia dictamen et iudicium intellectus divini, ut prius determinatione voluntatis est necessarium et naturale, quia prima ratio contingentie est determinatio voluntatis divine libere.

Sexto, illud non convenit homini propter demerita, quod convenit nunc presentialiter et in actu homini, qui non habet nec habuit demeritum alicuius mali, sed esse reprobum et reprobari ad Gehennam est huiusmodi, quia potest convenire iusto existenti in gratia. Si autem aliquando fuerit in peccato originali, hoc accidit isti reprobationi, quia non est reprobus propter illud.

Septimo, si ab eterno Deus reprobatur propter demerita futura, sequitur quod Deus punit hominem antequam peccet et quod iam punivit hominem propter peccatum quod nondum commisit et quod potest numquam committere. Consequens est contra Augustinum, 11 super Genesim, citra medium. Consequentia probatur, quia reprobare est aliquis modus punitionis. Probo: tum quia reprobare est odire secundum illud Romanos 9, *Esau odio habui*, tum quia deputare ad Gehennam est condemnare, sed per sententiam diffinitivam condemnari et morti adiudicari est quoddam genus punitionis, quia est malum summe fugibile et non malum culpe, quia est a Deo ante etiam omnem culpam, igitur est malum pene et propter peccatum, igitur punitio.

Octavo, illud non convenit homini propter demerita quod non potest cadere sub demerito humano. Homo enim demeretur illud quod propter demerita iuste infertur vel convenit, sed reprobatio eterna non potest cadere sub demerito. Homo enim non potest demereri preteritum ab eterno. Demeritum enim et peccatum est prius vel non posterius, eo quod homo propter peccatum demeretur.

Ad primum, loquendo de reprobatione, non ut est pura negatio electionis ad beatitudinem, sed prout est deputatio ad Gehennam, vel prout est nolle misereri et adjuvare seu pro velle deserere secundum actum volendi vel nolendi formaliter positive et contrarie actuali acceptioni. Dicendum quod illa propositio negativa copulativa vel de copulato extremo est vera ratione alterius partis, et hoc sufficit ad eius veritatem. Non enim verum est quod iste sit electus pro meritis, et ille reprobatus pro demeritis. Si vero sumatur reprobatio pro pura non electione sive pro pura negatione electionis vel volendi dare beatitudinem, conceditur quod vera est pro utraque parte.

Item, potest dici quod prima ratio reprobationis non est propter peccata actualia futura prescita, sed peccatum originale est prima ratio. Omnibus enim hominibus nascituris ex Adam presentatis ab eterno conspectui divino circumscripto respectu ad opera futura eorum meritoria vel demeritoria non est aliqua differentia, quia omnes offeruntur ut rei damnationis pro peccato originali, sed Deus mera voluntate et gratuita bonitate vult et ordinat liberare istum a reatu peccati originalis et perducere ad beatitudinem. Alterum autem iuste deputat ad penam debitam pro originali, et ratione huius movet Apostolus questionem quomodo erit equitas apud Deum, si eorum qui divino conspe **-[378b]-** ctui offeruntur eque digni vel eque indigni unum eligit ad beatitudinem, alterum reprobatur ad Gehennam. Licet igitur consequenter reprobatur ad tantam

penam sensus propter demerita actualia futura, tamen non primo reprobavit et repellit a beatitudine propter huiusmodi demerita operum, et quod hoc sit intentio Augustini. Patet super illo verbo *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, Glossa: “In Iacob antequam natus fuisset quid diligebat Deus, nisi gratuitum misericordie sue donum. Et in Esau antequam natus fuisset nec fecisset aliquid mali, quid oderat nisi originale peccatum”. Item, consequenter super illo verbo: *dicit enim Scriptura Pharaoni*, Glossa: “Sicut Iacob per misericordiam elegit, ita Esau per iustitiam reprobavit et Pharaonem per iudicium sicut Esau reprobavit”. Item, super illo verbo: *ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat*, Augustinus: “cuius vult miseretur gratuito, et quem vult indurat iusto iudicio obdurationis meritum invenimus, misericordie vero meritum non invenimus. Meritum autem obdurationis est peccatum totius masse damnate”. Sequitur: quisquis ergo obduratus est se obduratum debite, et quisquis adiutus est, se adiutum gratis agnoscat, et ubicumque Augustinus loquitur de causa predestinationis et reprobationis, predestinationi attribuit gratiam et misericordiam, sed reprobationi attribuit iudicium et iustitiam. Iudicium autem condemnativum iuste videtur respicere culpam. Ad exemplum de figulo dicendum quod similitudo illa intelligitur quod sicut in materia figuli non precedit differentia propter quam ex hac portione magis debeat fieri vas in honorem quam ex illa portione alia, sed sola voluntate facit hoc in honorem, ita in massa generis humani descendens ab Adam naturali propagationem presentata divino intellectui ab eterno non est differentia quare iste eligatur ad beatitudinem et non ille. Sed similitudo non debet extendi ad hoc quod reprobatio aliorum ad penam sensus vel damni non habeat rationem ex parte ipsorum. Omnes enim sunt rei damnationis, sed iste eligitur liberandus magis quam ille, non propter maiorem dignitatem vel minorem indignitatem preintellectam in isto magis quam in illo. Unde, super illo verbo *an non habet potestatem figulus*, Glossa: “cum omnes ex una eademque massa simus, et cuncti peccatores Deus alii miseretur, et alterum despicit non sine iustitia. In figulo enim sola voluntas est, in Deo autem voluntas cum iustitia, sicut igitur vas quod facit in contumeliam si vile est ex se luto habet, non ex figulo, sic tota massa humani generis non ex deo, sed ex suo vicio iuste corrupta et lutosa est, ideoque si inde vas sit in honorem misericordia est, si in contumeliam iustum est. Hoc enim erat ex natura, tota enim natura nostra in ipsa radice viciata divino iudicio debite damnationi est subiecta. Ad secundum principale negatur consequentia, tum quia doctrina sanctorum est in oppositum ex una parte, tum quia secundum leges positas hoc videretur derogare divine misericordie, tum quia ex una parte est evidenter necessarium solam voluntatem Dei esse causam quare hoc possibile

producatur et non illud, sed in proposito potest assignari ratio et demeritis futuris. Ad tertium, licet Deus potest illud de potentia absoluta, tamen secundum leges ordinatas nobis notas per doctrinam sanctorum illud non convenit divine misericordie.

Ad quartum, loquendo de reprobatione primo et immediate ad damnationem absolute abstrahendo [379a] a damnatione secundum penam sensus tantam et talem, et a damnatione pene sensus simpliciter concederetur consequens et antecedens in parte est verum, ideo enim Deus istos non speciali gratia et auxilio vocat, sicut illos, quia istos reprobavit ad damnationem ex peccato originali, et ideo etiam interdum in certo casu non confert specialem gratiam auxilii, quia iam eos reprobavit ad aliqualem damnationem sensus propter peccata preterita et precedentia casum istum, tamen propter reprobationem eternam non subtrahit isti adulto influentiam generalem, quin iste possit facere quod in se est utendo naturalibus bene moraliter, non subtrahit etiam influentiam specialem, quin Deus iuvaret eum quantum necesse est ad salutem, si iste antecederet faceret quod in se est, et quod potest, concedo igitur quod Tyriis et Sydoniis non est datum ut verbum Christi eis predicaretur, quia erant reprobati et ulterius per peccata actualia addita erant indigni et propter illa iam reprobati ad certum gradum pene, tamen primo fuerunt absolute reprobati propter peccatum originale prescitum. Fuerunt etiam reprobati ad tantum gradum Gehenne propter tanta peccata prescita, loquendo igitur de reprobatione ad ultimum et totale gradum Gehenne eis futurum, negatur antecedens.

Ad quintum, negatur minor. Ad probationem procedit de dictamine quod presupponitur et preintelligitur de omni determinatione libere voluntatis divine. In proposito autem dictamen huiusmodi supponit quandam ordinationem divine voluntatis, scilicet quod propter peccatum punienda est creatura rationalis, et quod propter talem et tantam culpam puniatur tali et tanta damnatione. Intellectus autem offert voluntati Socratem talem et tantum peccatorem, ideo intellectus dictat ipsum sic esse puniendum. Aliter potest dici quod si intelligitur de dictamine secundum quod dictatur simpliciter et absolute sic esse debitum tamquam illud quod exigit rigor iustitie, negatur minor. Si vero de dictamine secundum quod dictatur, hoc esse conveniens si placet voluntati, et nisi voluntas aliter ordinet et de dictamine relinquente determinationi voluntatis ipsum iudicium. Negatur maior, quia rex terrenus, licet non puniat morte nisi propter culpam, tamen in casu eius libertati subest liberare et aggravare, vel diminuere, vel maiorari punitionem secundum arbitrium liberum. Item, potest negari maior, quia licet presupponatur



ostensio demeritorum futurorum, non tamen presupponitur dictamen et iudicium quod propter illa sit Socrates taliter puniendus, sed illis demeritis ostensis voluntas primo determinat propter illa Socratem esse puniendum.

Ad sextum, conceditur maior, accipiendo proprie convenire de presenti in actu reali non solum convenire in presenti secundum figuram loquendi, et sic negatur minor. Nam hunc esse reprobum et reprobari ad Gehennam, licet secundum formam enuntiationis videatur aliquid conveniens presentialiter in actu, non tamen ita est, quia non est penam vel punishmentem sibi realiter inesse, sed quod in futuro inerat.

Ad septimum, negatur consequentia. Ad probationem, negatur quod reprobare sit punire, sed puniendum pro futuro determinare. Ad primam probationem, dico quod odire aliquem odio secundum quod odiens velit malum inferre vel inesse actualiter de presenti propter peccatum quod non inest, nec in fuit est punire ante peccatum, sed odire odio secundum quod odiens vult et proponit malum fore inferendum pro futuro post tale peccatum, non est punire ante peccatum. Ad secundam probationem, verum est de con -[379b]- demnatione qua iudicatur talem esse puniendum, et esse iam dignum tali punishmente, non autem de condemnatione vel iudicio quo iudicatur ipsum non esse, sed fore dignum pena, et fore puniendum post tale peccatum, tale enim iudicium non est punitio, sed erit punitio, et sic determinare non est punire, sed erit punire, nec est Deum esse punientem, sed puniturum in futuro, et sic iudicari non est malum, sed erit malum, nec est malum inesse isti, sed malum esse futurum isti, et hoc est fugibile, non quia presentialiter in actu malum, sed quia futurum malum.

Ad octavum, negatur minor ad probationem, licet homo per peccatum presens et novum non demereatur penam preteritam, nec demereatur reprobationem et condemnationem secundum quam in preterito iudicatus esset esse statim puniendus vel dignus pena, tamen homo per peccatum presens potest demereri quod a iudice omnia previdente iudicatum fuerit ipsum fore puniendum, vel fore dignum punishmente pro futuro, licet etiam verum sit quod Deus iudicaverit et reprobaverit, tamen proprie hoc iudicium non transit in preteritum, quia possibile est nunquam reprobasse. Aliter potest dici: non oportet quod homo possit demereri illud, sufficit quod possit demereri penam implicatam in eo quod sibi taliter convenit et attribuitur. Homo igitur proprie non demeretur reprobationem eternam per peccatum novum, sed demeretur penam ad quam sustinendam pro futuro deputabatur in preterito ab eterno.

Dubium: accipiendo reprobationem pro mera negatione volendi dare beatitudinem an Deus ab eterno aliquem reprobaverit, non propter demerita prescita. Respondeo quod non de facto et simpliciter alicui creature rationali creande negavit conferre beatitudinem, nisi propter peccata prescita. Omnes enim reprobri homines futuri proponuntur ab eterno divine voluntati, ut nascituri cum culpa, et eis ut sic oblati non vult dare beatitudinem ratione illius culpe. Angelis etiam reprobis, ideo non voluit conferre beatitudinem, quia vidit eorum mala futura, quantum enim foret ex parte Dei omnem creaturam rationalem quam creat ordinat ad beatitudinem, nisi sit impedimentum ex parte creature. Tamen de pena absoluta non videtur quin posset duas creaturas rationales creandas habere in prospectu, et uni dare beatitudinem alteri autem non et non propter demerita, ut omnes angeli ab eterno presentes divino conspectui, si considerentur ut precise sub dispositione in qua creati sunt, abstrahendo a culpa aliquorum futura Deus hos elegit ad beatitudinem, et illos ut sic precise acceptos non elegit, licet illos ut sic non deputaverit ad Gehennam.

Ad rationes in principio questionis patet supra.

Questio tertia.

Ultimo quero utrum reprobis in gratia existens per bona opera mereatur vitam eternam. Quod non, quia remota causa removetur effectus. Sed mereri vitam eternam est effectus predestinationis et sequela ipsius, quia est preparatio necessaria et sufficiens ad beatitudinem, igitur remota predestinatione removetur meritum vite eterne. Contra: quia eius opera talia sunt meritoria gratie cum propter illa detur augmentum gratie, igitur sunt meritoria glorie.

Notandum: hic supponitur quod aliquis de numero reproborum aliquando est in caritate **[380a]** et gratia, ut determinatur tertio libro Sententiarum, distinctione 31. Opinio quorundam fuit ad questionem aliquando quod non, sed illa opinio per magistros parisienses fuit condemnata et revocata. Ideo, ad questionem sit prima conclusio: omnis viator existens in gratia et caritate est simpliciter et absolute loquendo dignus vita eterna, et sub merito vite eterne. Probatur super illud Romanorum 9, ut ostenderet divitias glorie sue, Glossa Ambrosii: “quibusdam data est gratia ad usum, ut Sauli et Iude, et illis discipulis quibus Christus ait in Evangelio, Luce 10: *Nomina vestra scripta sunt in celo*, et post abierunt retrorsum Iohannis 6: *Hoc autem de illis Deus dixit propter iustitiam cui deserviebant, quia hoc est iustum ut unicuique illud respondeat*

*pro merito ac si diceret: "Digni estis nunc vita eterna"*. Simile habetur de penitentia, distinctione 4, "si horum", et ponitur 3 libro Sententiarum, distinctione 31, capitulo 1.

Preterea, aut Socrates simpliciter et absolute loquendo est dignus vita eterna, aut dignus pena eterna, aut neutrum, si primum propositum. Si secundum, contra: quia est iustus est innocens et gratus et carus Deo cum habeat caritatem et gratiam gratum facientem, et quia numquam habuit peccatum nisi originale, propter quod non est dignus pena eterna, quia remissum est in baptismo. Si tertium, quia non est dare in via statum neutrum secundum leges Dei ordinatas, alioquin si in tali statu decederet, nec salvaretur, nec damnaretur. Eodem modo arguitur: aut iste est absolute sub merito vite eterne, aut sub merito pene eterne, aut in statu neutro et medio, ut prius.

Preterea, viator simpliciter et absolute melior et Deo carior quam Plato est simpliciter et absolute dignior vita eterna quam Plato, sed Socrates reprobus est huiusmodi respectu Platonis electi, quia contingit quod sit in maiori gratia quam Plato, et quod Plato plura peccata commiserit in preterito, nec valet dicere quod Socrates committet, et in illo peccato erit finaliter impenitens. Contra: Deus puniret hominem ante peccatum propter peccatum futurum, quia Socrates secundum dispositionem in qua est foret dignus vita eterna, et sub merito vite eterne. Sed Deus privat eum dignitate et merito vite eterne, ex eo quod cadet cum finali impenitentia, licet sit melior quam Plato.

Preterea, nullus viator transit seu liberatur a demerito et reatu pene eterne et ab indignitate vite eterne, nisi ad meritum et dignitatem vite eterne, quia illa sunt immediata respectu viatoris secundum leges ordinatas, sed homo per sacramentum baptismi et penitentiae transit et liberatur ab illis, igitur. Unde, opinio opposita videtur derogare sacramentis baptismi et penitentiae.

Preterea, electus existens in peccato mortali privatus caritate est dignus morte eterna et sub eius merito et indignus vita eterna, et non sub eius merito, ergo proportionabiliter. Econtra: de reprobo existente in gratia, consequentia patet pari ratione, quia rationes adverse partis eque sunt contra utrumque et quia Deus eque paratus est acceptare et dignificare iustum sicut reprobare iniustum et deputare ad penam. Antecedens probatur, peccatum enim mortale facit hominem reum mortis eterne, et dignum ea, immo misericordia est, quod non statim infertur ei.

Preterea, Augustinus 15 De trinitate, capitulo 18, loquens de caritate dicit quod nullum est isto dono excellentius, quod solum dividit inter filios regni eterne, et filios perditionis eterne. **[380b]**

Secunda conclusio: aliquis actus viatoris existentis in caritate et gratia, licet existentis de numero reproborum est meritorius vite eterne. Probatur: *a* actu Platonis existentis in caritate est meritorius vite eterne, igitur *b* actus Socratis reprobis existentis in caritate. Antecedens patet, quia supponitur quod Plato sit de numero electorum, licet non Socrates. Consequentia probatur, quia *b* ponitur actus simpliciter melior et a meliori caritate elicited, ergo non minus meritorius, et dignus vita eterna.

Preterea, aut Socrates per huiusmodi actum bonum meretur vitam eternam et propositum, aut nihil omnino mereretur, et hoc non, quia nullum opus bonum viatoris est vacuum a merito. Si nullum opus malum est non demeritorium, aut meretur tantum premium temporale, et hoc non, tum quia ille actus et etiam habitus caritatis est melior omni premio temporali, tum quia ille actus est bonus maiori bonitate quam naturali et morali, cum sit ex caritate, igitur non est precise premio temporali dignus. Aliqui enim actus infidelium propter aliqualem bonitatem moralem sunt etiam apud Deum meritorii alicuius premii temporalis secundum Augustinum, 5 De trinitate, capitulo 15 et 17.

Preterea, Plato licet electus peccando mortaliter demeretur penam eternam, igitur Socrates reprobis bene operando ex caritate meretur vitam eternam. Antecedens patet supra. Consequentia probatur, tum quia rationes adversariorum eque sunt contra utrumque reducibiles, tum quia Deus non minus paratus est ad acceptandum bonum actum et imputare ad premium quam malum actum imputare ad penam. Confirmatur: electus peccando meretur perdere beatitudinem, igitur reprobis bene operando meretur illam acquirere. Antecedens probatur, quia secundum Anselmum, Cur Deus homo, capitulo 16, Adam peccando meruit perdere beatitudinem ad quam factus fuerat, et tamen ut postea in eodem capitulo habetur: Adam fuit de numero electorum et salvatus est. Idem etiam habetur 2 Sententiarum, distinctione 33, capitulo 8, et allegatur ibi adhuc Augustinus, libro 2, De baptismo parvulorum. Idem etiam habetur Sapientie 10: *Hec illum qui primo formatus est custodivit et eduxit illum a delicto suo*. Secundum Glossam, ibidem: “Adam redemptus est per Christum”.

Preterea: viator, licet reprobis cadens a gratia, perdit priora merita, igitur prius meruit. Antecedens patet per Magistrum, quarto Sententiarum, distinctione decimaquarta, capitulo primo, per peccatum sequens mortificantur ante acta bona ut non sortiantur mercedem quam meruerunt.

Preterea, hoc esset quia isti non redderetur actu premium vite eterne, sed hoc non valet, quia possibile est quod aliquis simpliciter mereatur aliquod premium, et antequam recipiat perdit illud meritum, ita ut iuste numquam recipiat quod aliquando meruerat, ut si rex statuat quod quicumque fecerit *b*, merebitur *d* premium sibi tradendum infra mensem, tunc si Socrates fecerit *b*, verum est quod meruerit *d*, et tamen si infra mensem incurrat crimen lese maiestatis propter quod iuste demeretur perdere substantiam et vitam, potest vere dici quod Socrates perdidit priora merita, et quod iustum est sibi numquam conferri quod aliquando meruerat habere.

Preterea, Socrates nunc bene operans tantum premium meretur per huiusmodi operationem quantum per eam mereretur, si statim post huiusmodi operationem decederet, quia sola mors non dat novum meritum, sed si decederet mereretur, igitur etc.

Confirmatur: huiusmodi actus non minus est meritorius quam nunc esset si Socrates numquam postea peccaret, patet quia si **[381a]** propter peccatum cras futurum, huiusmodi actus modo non est meritorius, et similis in Platone est meritorius, sequitur quod iste nunc punitur et privatur bono meriti propter peccatum quod numquam commisit et ante peccatum.

Preterea, sequitur quod aliquis manens in gratia peccaret mortaliter. Probo: viator adultus tenetur aliquando agere meritorie, et facere opera meritoria vite eterne, alioquin propter obmissionem istorum non esset damnandus, et quia cum sit viator tenetur tendere, et proficiendo procedere ad terminum beatitudinis. Socrates igitur reprobus existens in gratia per 20 annos, si numquam egit actum meritorium vite eterne peccavit.

Contra duas conclusiones, primo sequitur quod simul Deus istum hominem demonstratum acceptat et ordinat ad beatitudinem et quod non. Sed ordinat et deputat ad Gehennam, et quod eum diligit et approbat, et quod nunc simul eum odit et reprobat, et quod nunc vult et proponit et intendit dare ei vitam eternam, et simul quod non, sed penam eternam.

Secunda pars probatur, quia iste nunc est reprobus, et de numero reproborum ab eterno, igitur deputat eum ad penam, et odit eum etiam ab eterno, Romanos 9, *Esau autem odio habui*.

Prima pars probatur, quia si meretur vitam eternam, igitur acceptatur et ordinatur ad illam. Hoc enim est esse meritorium vite eterne acceptari ad vitam eternam, et quia si meretur vitam eternam, igitur est dignus ea, ergo acceptatur et ordinatur ad illam, et dignum et iustum est ipsum acceptari ad illam. Dices: acceptat ipsum et diligit secundum presentem iustitiam, non secundum

predestinationem eternam, sed ipsum reprobat et odit secundum eternam ordinationem, econtra de electo existente in mortali. Contra: demonstrato nunc Socrate existente in gratia, qui est de numero reprobatorum, aut istum hominem demonstratum, et sic se habentem et in tali statu et dispositione existentem Deus simpliciter et absolute diligit et acceptat et ordinat ad beatitudinem, aut simpliciter et absolute odit et reprobat et deputat ad Gehennam, aut neutrum. Si primum, igitur isti homini demonstrato Deus simpliciter et absolute vult dare beatitudinem, et vult se esse daturum beatitudinem pro futuro, igitur simpliciter et absolute est daturus, igitur ab eterno est daturus, igitur simpliciter dabit. Si secundum, igitur, istum hominem demonstratum sic dispositum odit et reprobat et ad penam deputat secundum dispositionem presentem in qua est, quia loquor de illo demonstrato nunc in statu presenti, igitur iste in dispositione tali, nunc existens non est dignus vita eterna, igitur non meretur illam, nec est sub merito vite eterne. Si tertium, contra: quia iste simpliciter et absolute est in statu salutis vel in statu damnationis. Et si nunc decederet alterum determinate haberet.

Item, contra responsionem, quia hec presens iustitia in qua modo est et cui deservit, aut simpliciter et absolute acceptatur a Deo ad vitam eternam, aut non. Si secundum, igitur iste non acceptatur ad vitam eternam secundum presentem iustitiam, quia si dentes Ethiopis non sunt albi, falsum est quod ipse sit albus secundum dentes. Si primum, igitur hec iustitia simpliciter et absolute per divinam voluntatem ordinatur ad vitam eternam, ergo simpliciter et absolute Deus vult se esse daturum beatitudinem pro hac iustitia, quia voluntatem acceptare et ordinare aliquid ad beatitudinem est velle dare beatitudinem illi vel pro illo. Eodem modo arguitur de ipso actu bono, quia aut Deus simpliciter et absolute acceptat illum ad vitam eternam, aut non. Si primum, igitur simpliciter et absolute vult et intendit dare premium beatitudinis pro illo, ergo simpli -[381b] - citer vult se esse daturum, igitur simpliciter est daturus, igitur simpliciter dabit. Si secundum, igitur ille actus simpliciter et absolute non est meritorius vite eterne, quia eo modo est meritorius beatitudinis quo modo est acceptatus et ordinatus a Deo ad beatitudinem.

Si dicatur quod actum vel hominem esse acceptum ad vitam eternam, potest exponi dupliciter. Uno modo esse dignum vita eterna, et sic conceditur in proposito. Alio modo Deum velle dare isti beatitudinem pro futuro, et sic negatur in proposito.

Contra: Socrate reprobo existente in gratia demonstrato secundum statum et dispositionem actualem nunc presentem, aut Deus simpliciter et absolute vult isti demonstrato dare

beatitudinem pro futuro, aut simpliciter non vult dare, sed penam eternam, aut non vult simpliciter et absolute dare ei beatitudinem nec inferri penam pro futuro; non tertium, quia simpliciter et absolute loquendo illa sunt immediata secundum leges positas. Si primum, igitur ut supra est daturus ab eterno simpliciter. Si secundum, igitur secundum dispositionem presentem in qua est, odit et reprobatur eum et deputat ad Gehennam, igitur secundum dispositionem in qua est non est sub merito et dignitate vite eterne. Iste enim non est dignus beatitudine illa secundum dispositionem, et sub illa dispositione secundum quam et sub qua existens oditur et deputatur ad Gehennam.

Item, contra responsionem, iste est dignus beatitudine, igitur dignum et iustum est istum in futuro remunerari premio beatitudinis, sed omne iustum est a Deo volitum, igitur hunc remunerari premio beatitudinis est a Deo volitum, eo enim modo iustum et dignum est hunc pro futuro habere beatitudinem, quo modo dignus est habere pro futuro beatitudinem. Si simpliciter, simpliciter. Si secundum quid, secundum quid, et eo modo quo est dignum et iustum est a Deo volitum.

Item, responsio non videtur conveniens, quia Deum acceptare et ordinare ad vitam eternam et Deum velle dare vitam eternam sunt idem convertibiliter. Probo, quia hec acceptatio et ordinatio est formaliter actus divine voluntatis, qui fertur super actum vel animam in respectu ad beatitudinem, aut igitur divina voluntas secundum huiusmodi acceptationem formaliter refert actum ad beatitudinem volendo vel nolendo. Si primum, igitur acceptare ad beatitudinem est velle dare beatitudinem. Si secundum igitur acceptare aliquid ad beatitudinem est formaliter nolle dare beatitudinem, quod est falsum, quia posset dici quod malos actus acceptaret ad beatitudinem.

Secundo principaliter contra conclusiones positas arguitur: iste simpliciter et absolute meruit premium vite eterne, igitur simpliciter et absolute reddetur sibi premium vite eterne. Consequentia probatur, primo quia Deus reddet unicuique secundum merita sua. Secundo, quia vel iste nullo modo remunerabitur, vel remunerabitur minori bono quam sit premium vite eterne. Non primum, quia nullum meritum bonum remanet a Deo irremuneratum, sicut nullum malum demeritum remanet impunitum. Deus etiam pronior est ad remunerandum bonum quam ad malum puniendum. Non secundum, quia Deus remuneraret creaturam rationalem insufficienter pro meritis, nec ultra merita, nec iuxta merita, immo circa merita, quia premiaret bono minori

quam sit premium cuius erat simpliciter meritorius talis actus, dicitur ab aliquibus quod reprobis existens in gratia bene operando [382a] meretur vitam eternam, et tamen numquam est verum dicere quod reprobis meruerit vitam eternam, quia meruisse in preterito, significat pervenisse et perfecisse, sicut de Socrate pergente Romam, verum est quod vadit Romam et pergit, sed non est verum quod ivit vel perrexit Romam vel quod venit Romam, nisi pervenerit. Ibat ergo et pergebat, sed citra terminum non venit, nec ivit, ita iste merebatur, et tamen numquam meruit beatitudinem. Contra: aut Socrates aliquid meruit aut nihil meruit. Si primum, igitur gloriam vel si non gloriam, sed aliud, ita pari ratione dicam quod non merebatur gloriam, sed aliud. Si secundum, igitur in vita sua nihil egit meritorie, igitur non agebat meritorie, igitur non merebatur. Item, per illum actum fuit dignus gloria et acceptatus ad gloriam, per te igitur per illum actum meruit gloriam.

Tertio principaliter, quod non convenit alicui nisi sub certa conditione et hypothesi, si conditio simpliciter et absolute non stat, illud simpliciter et absolute non convenit illi, sed isti reprobo existente in gratia et operanti secundum illam non convenit mereri vitam eternam seu esse dignum vita eterna, seu acceptari ad vitam eternam, nisi sub conditione et hypothesi perseverantie finalis, et cum exclusione finalis impenitentiae. Si enim absque hac hypothesi et conditione explicite vel implicite subintellecta, illud conveniret isti, igitur illa conditione circumscripta et exclusa nihilominus, iste salvaretur sicut circumscripta conditione accidentali et in impertinente, nec propter remotionem illius conditionis fieret iste non acceptus. Confirmatur: Deus non promissit simpliciter et absolute dare isti beatitudinem, igitur iste non meretur simpliciter et absolute beatitudinem. Consequentia patet, quia nullus meretur per operationem, nisi ex divina promissione gratuita. Antecedens probatur, quia Deus non promittit gloriam, nisi sub conditione que non stat et quam Deus scit non stare, scilicet sub conditione perseverantie, alioquin non perseveranti deberet ex promisso.

Quarto, qui sunt digni vita eterna, et qui merentur iam sunt filii Dei, sed reprobi non sunt filii Dei simpliciter secundum veritatem, ut habetur De penitentia, distinctione 4, § “Verum”, et probatur, quia si sunt filii Dei, igitur essent heredes et forent hereditatis participes, quod est falsum.

Quinto, quicumque meretur vitam eternam et est dignus vita eterna est scriptus in libro vite, quia est sub merito vite eterne. Sed omnis scriptus in libro vite in libro vite salvatur, quia secundum



veritatem, quicumque scriptus est in libro vite numquam deletur, et qui damnatur numquam fuit scriptus in libro vite secundum veritatem, licet fuerit scriptus secundum illius hominis reputationem, ut dicit Glossa exponens illud Psalmi, *deleantur de libro viventium*.

Sexto, susceptio sacramentorum non est homini reprobato meritoria vite eterne, igitur nec aliqua eius operatio. Antecedens probatur, quia Magister 4 Sententiarum, distinctione 4, capitulo 1, recitat dictum Augustini quod sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant, et Magister hoc exponens dicit hoc ita esse accipiendum, quia cum in aliis, scilicet reprobis, efficiant sacramenta remissionem, non hec eis faciunt ad salutem, sed solis electis.

Septimo, nullus reprobatus potest salvari, igitur nullus reprobatus potest mereri vitam eternam. Consequentia est necessaria, quia ad oppositum consequentis, sequitur oppositum antecedentis. Quicumque enim potest mereri vitam eternam, potest salvari. Ante **-[382b]**-cedens autem est verum in sensu compositionis, igitur consequens erit verum in eodem sensu vel in sensu divisionis et magis propositum.

Octavo, omnis existens in gratia, qui per operationem meretur vitam eternam est perseveraturus, igitur non est reprobatus. Antecedens probatur, quia existens in gratia et orans oratione debita et recte circumstantionata et digna ex auditione meretur exaudiri, et exauditur, sed talis orat et debet orare pro vita eterna habenda et pro dono perseverantie, igitur exauditur. Habet enim circumstantias requisitas ad impletionem illius, *si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis, et illius petite et accipietis*. Omnis qui petit, accipit, et patet quia eius oratio non minus est digna exauditione quam oratio alterius electi petentis *a* vel *b*.

Nono, nullus electus demeretur penam eternam, igitur nullus reprobatus meretur vitam eternam. Antecedens probatur, primo quia eius peccatum et demeritum esset in infinitum gravius peccato reprobati, quia ceteris paribus peccatum electi haberet circumstantias infinite aggravantem, esset enim infinite ingratitude propter gratuitam predestinationem ad eternam beatitudinem. Predestinatio enim ad bonum temporale vel ad beatitudinem unius dici aggravaret certo gradu, igitur illud plus in infinitum aggravaret quia plusquam predestinatio ad *a* beneficium temporale, et plusquam predestinatio ad beneficium temporale duplum etc. Secundo, possibile esset peccatum alicuius aggravari certo gradu malitie ex quadam circumstantia, pro quo gradu malitie nullus unquam damnatur, nec potest damnari, quia pone quod damnetur, igitur non fuit

predestinatus, igitur eius peccatum non fuit aggravatum ex circumstantia predestinationis ex quo ultra arguitur quod peccatum predestinati necessitaret eum ad beatitudinem obtinendam.

Probo, quia sequitur peccatum illius fuit aggravatum certo gradu malitie ex circumstantia predestinationis, igitur est predestinatus, igitur salvabitur. Et primum antecedens est necessarium, quia transeunt in preterito. Decimo arguitur contra conclusiones et contra suppositum in questione sic: impossibile est reprobum esse in gratia sine peccato, igitur impossibile est reprobum mereri vitam eternam. Antecedens probatur dupliciter. Primo: ille est semper in peccato et male vivit, et est reprehensibilis cui semper convenit circumstantia et conditio et modus vivendi. Ad cuius oppositum semper tenetur ex precepto et sub pena damnationis. Patet, quia tali convenit id quod est sibi prohibitum et illicitum. Sic est de reprobo, quia nunc presentialiter in actu verum est de eo quod est peccaturus et futurus finaliter impenitens et non perseveraturus in gratia. Sed ad oppositum huius obligatur, quia tenetur cavere peccatum nunc et semper pro futuro, et precipitur sibi numquam peccare. Si enim ad illud non tenetur, igitur oppositum est sibi licitum, igitur licitum est sibi peccare pro futuro. Probatur iterum, quia iste non est electus, sed obligatur esse electus, quia obligatur perseverare. Sed perseverare et esse electum sunt idem convertibiliter, igitur ei convenit unum contradictorium, cuius oppositum est sibi semper preceptum.

Confirmatur: si iste nunc obligaretur ad non fuisse peccatorem, et tamen nunc verum esset ipsum fuisse peccatorem esset nunc in peccato, igitur si nunc obligaretur ad non fore peccatum et tamen nunc **[383a]** verum est ipsum esse et fore peccatum, sequitur quod nunc est in peccato. Secundo, probatur antecedens principale: aut Socrati magis fugibile est esse de numero reproborum quam eligibile sit ei esse sine peccato mortali et esse in gratia presentialiter, aut minus, aut eque precise. Si secundum vel tertium, contra: quia magis fugibile est mori cum finali impenitentia, et consequenter damnari cum perpetua obstinatione et blasphemia Dei quam fugibile sit esse in tempore brevi in peccato mortali, igitur quam eligibile sit esse sine peccato et esse in gratia pro tempore brevi. Si primum, contra: quia quod nullum malum includit formaliter, sed stat cum gratia et convenit optimo homini, nec per consequens est prohibitum, non est tam fugibile quam illud quod contrarie est etc., igitur quam eligibile sit esse in gratia. Tertio, nullus reprobus bene operatur, ergo nullus talis est in gratia. Antecedens probatur: ille non bene operatur, qui agit ad oppositum et ad impedimentum ordinationis divine, et qui nititur

frustrari divinam ordinationem eternam, sicut est, quia Deus preordinavit non dare isti vitam eternam, et est simpliciter nolens vel non volens dare ipsi.

Ad primum, responsio ibi posita conceditur. Deum enim aliquem acceptare et ordinare ad beatitudinem intelligitur dupliciter vel secundum eternam prescientiam et preordinationem, aut secundum presentem iustitiam, et secundum dispositionem in qua pro presenti est talis viator. Hec distinctio habetur 3 Sententiarum, distinctione 30, capitulo 2, et in Glossa super illud Romanos 9, *ut ostenderet divitias glorie sue*; et in causa De penitentia, distinctione 4, § “Verum”, “eodem modo Deum reprobare aliquem, vel deputare eum ad penam, vel velle ei penam eternam potest intelligi vel secundum eternam prescientiam absolutam, vel secundum presentem iniustitiam et secundum dispositionem in qua est actu pro presenti, et non repugnant Deum deputare aliquem ad penam et ad vitam variis modis, vel quod eundem diligat et odiat. Unde, Augustinus, 8 De trinitate, capitulo 6: “Qui amat homines, aut quia iusti sunt, aut iniusti sunt, amare debet, sic enim et seipsum amare debet, aut quia iustus est, aut ut iustus sit”. Ex quo patet quod homo malus est diligendus, non quatinus malus est, nec quia bonus sit, sed ut bonus sit.

Ad improbationem primam responsionis dicendum quod absolute loquendo Deus istum hominem demonstratum, qui scilicet nunc est in gratia, licet sit de numero reprobatorum diligit et approbat et acceptat, id est habet pro grato et caro, et in eo complacet et habet ipsum tamquam bonum et conformem ordinationibus suis pro nunc, et tamquam dignum beatitudine et ei daret beatitudinem, si nunc in tali statu decederet. Dico tamen quod absolute loquendo non deputat seu ordinat simpliciter ipsum ad beatitudinem, ita quod non vult nec intendit simpliciter dare ei beatitudinem, sed deputat ipsum ad penam eternam, non tamen quatinus sic dispositum, nec secundum statum in quo est, quia hunc statum non reprobat tamquam malum, sed deputat ad beatitudinem non simpliciter, sed si non cadat per culpam sequentem.

Ad aliud contra responsionem, si acceptatio iustitie recipiatur pro appropriatione ipsius tamquam forme conformis divine voluntati, et in qua divina voluntas complacet, et secundum quam anima se habet ut debet et pro qua vult Deus dare beatitudinem, nisi iste perdat eam et tamquam meritum dignum vita eterna, conceditur quod simpliciter et absolute acceptatur a Deo. Si vero accipiatur pro ordinatione et relatione eius ad beatitudinem, ut premium quod vult Deus et proponit dare, sic non acceptatur simpliciter ad beatitudinem, sed quasi sub conditione, que

conditio est **[383b]** in libera potestate hominis, et quam Deus quantum est ex se mallet stare quam non stare, cum dederit preceptum de hoc, et conformiter dicendum de ipso homine secundum quod habente gratiam et quatinus sic dispositus est.

Ad improbationem primam alterius responsionis ibi posite, patet ex dictis. Isti enim non vult simpliciter dare beatitudinem, non tamen quatinus sic disposito, et secundum presentem dispositionem, sed velle ei dare beatitudinem secundum talem dispositionem non est ei velle simpliciter dare beatitudinem, sed implicite conditionaliter, puta nisi perdat finaliter eam.

Ad aliam improbationem, concesso antecedente, si per consequens intelligitur quod dictamen est iustum et rectum dictans absolute quod iste remunerabitur beatitudine, vel non observabitur iustitia, et quod iustitia exigit quod simpliciter et determinate iste habiturus sit beatitudinem, negatur prima consequentia. Si vero per consequens intelligitur quod recta ratio dictat beatitudinem esse conferendam isti secundum dispositionem in qua est, et nisi interveniat impedimentum per finalem remotionem dispositionis quam habet, conceditur prima consequentia, et negatur sequens propositio assumpta, nisi sub eadem determinatione. Deus autem scit impedimentum futurum ex parte istius. Ad aliud ordinare et acceptare ad vitam eternam est idem quod velle tali vitam eternam, sed absolute acceptare *a* non universaliter est ordinare *a*. Ad aliud, ut premium, quia Deus ipsum actum beatitudinis acceptat, non ad aliud premium. Acceptatio igitur potest sumi pro appropriatione et complacentia vel per relatione ad alterum ut premium.

Ad secundum principale, negatur consequentia, nisi in consequente apponatur quod reddetur, nisi impediatur remunerationem culpabiliter, et nisi perdat merita sua sine recuperatione. Ad probationem, possibile est quod post casum non remunerabitur, quia meritum est mortuum et extinctum. Ideo, non est contra legem misericordie vel iustitie illud non amplius remunerari, tamen ille fuit remuneratus ex omni opere suo bono per ipsum producto, etiam ultra meritum condignum, quia caritas fuit premium sue operationis. Ad tertium, negatur minor, immo simpliciter et absolute convenit isti mereri et meruisse vitam eternam, et ideo quamvis postea peccet, semper verum est quod meruit et dignus fuit. Sed esse accepturum gloriam non convenit isti absolute, et esse daturum isti gloriam non convenit Deo absolute, sed sub conditione implicita, que non stabit, non sic de electis.

Ad confirmationem, negatur consequentia. Ad probationem, non infert propositum. Iste enim simpliciter meretur, quia est in dispositione qua est dignus beatitudine, et in qua si decederet, haberet beatitudinem nullo alio dono requisito. Sed solum si conservet dispositionem in qua est, sed non permittitur sibi, nisi perseveret et ubi perdat meritum, licet autem isti iusto non simpliciter promittatur beatitudo, tamen iusto perseveranti promittitur simpliciter.

Ad quartum, dicendum quod simpliciter et absolute dicendi sunt filii Dei, ut dicit decretum illud. Sed non futuri sunt semper filii Dei, et quia futuri sunt filii diaboli, ideo non erunt simpliciter heredes regni celestis.

Ad quintum, sicut habetur in Glossa <ad> Romanos 9, *ut ostenderet divitias* et De penitentia, distinctione 4, § “Horum”, aliquis dicitur scribi in libro vite dupliciter, vel secundum eternam scientiam et predestinationem, et talis numquam deletur, quin sic scribatur quod Deus scit illum habiturum beatitudinem, et sic intelligitur illud prime Iohannis 2, *ex nobis exierunt sed ex nobis non erant, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Alio modo, secundum presentem et actualem iustitiam et dispositionem in qua est, et sic totiens scribi dicitur, quotiens fit in caritate et totiens [384a] deleri de libro dicitur, quotiens cadit a gratia, ut Exodi 32, *Si quis peccaverit, delebo eum de libro vite*, sic etiam nomina illorum prius erant scripta in celo, de quibus Luce, 10, *qui tamen postea abierunt retro*, Iohannis 6, ut allegatur tertio Sententiarum, distinctione 31, capitulo 1, sic autem scribi in libro vite est esse talem qualis si decederet haberet vitam eternam secundum leges positas.

Ad sextum, negatur antecedens. Ad probationem, non est illud intelligendum, quin vere et realiter recipiant gratiam per quam fiunt sub merito vite eterne, sed intelligitur quod per illam non consequenter de facto vitam eternam, quia cadunt a gratia et merito.

Ad septimum, antecedens est falsum in sensu divisionis, et sic conceditur consequentia. In sensu autem compositionis concesso antecedente negatur consequentia, sive sumatur consequens in sensu compositionis, sive divisionis.

Ad octavum, negatur antecedens. Ad probationem, concedo quod oratio recte circumstantionata explicite et implicite est digna exauditione, et exauditur eo modo quo iustitia secundum leges Dei positas, exigit iam exaudiri. Talis autem oratio qua petit habere perseverantiam et vitam eternam non debet continue explicite, vel implicite quod Deus necessitet ipsum ad bene

vivendum, et impossibiliter ipsum ad oppositum, et non relinquat ipsum libertati contingentie, aut quod Deus conservet eum in bono quantumcumque ipse homo quantum est ex parte sui ponat impedimentum, sic enim non esset oratio discreta, sed contra Dei ordinationes intelligenda. Est igitur petitio, ut Deus det sibi perseverantiam, id est dare paratus sit quantum est ex parte Dei, nisi ipse homo ex parte sui libere ponat obicem, et sic exauditur. Unde, si oratio respiciat futurum et exauditur quantum convenit exaudienti, possibile est quod per culpam futuram quasi revocetur exauditio et non conferatur effectus petitus, quia petitor posuit in futuro obicem.

Ad nonum, negatur antecedens. Ad primam probationem, negatur consequentia. Ad probationem, potest dici quod circumstantia predestinationis non aggravat peccatum, quia non est beneficium secundum quod conferatur aliquid predestinato, ut predestinatus est, quia ab eterno predestinatur, cum nihil esset et latet eum, quod si reveletur ei ipsum esse predestinatum tunc, quamvis hec revelatio et fides esset circumstantia aggravans eius peccatum, non tamen ipsa predestinatio, et cum illa revelatione staret potentia ad non esse predestinatum. Ad secundam probationem, patet per idem.

Ad decimum, negatur antecedens. Ad primam probationem, conceditur maior. Si sibi insit actualiter et presentialiter secundum rem, non solum in similitudine et figura loquendi, et sic negatur minor. Istum enim obligari ad esse perseveraturum et non peccaturum est ipsum obligari, non solum ad aliquid habendum actualiter pro presenti vel ad taliter nunc vivendum, sed ad fore huiusmodi pro futuro, et istum esse peccaturum et non perseveraturum. Non est realiter ipsum in presenti actualiter taliter vivere seu habere aliquem modum vivendi. Ad cuius oppositum teneatur, sed est ipsum esse habiturum pro futuro, ideo non sequitur ipsum esse in peccato, sed esse vel fore. Ad secundam probationem, conceditur quod magis fugibile est esse de numero reprobatorum. Ad improbationem, conceditur maior: si non includit, nec infert inesse pro presenti, nec etiam fore. Si vero infert fore perpetuo sine gratia et in peccato, licet stet in presenti pro aliquo tempore cum gratia negatur illud.

Ad tertiam probationem, negatur antecedens. Ad probationem, negatur minor loquendo de ordinatione antecedente, scilicet de ordinatione preceptiva vel consultiva. Loquendo autem de ordinatione consequente, scilicet punitiva peccati ex suppositione, negatur maior, licet proprie loquen **-[384b]-** do non sit dicendum absolute quod Deus illud ordinaverit, sed solum cum

determinatione, scilicet si finaliter decedat in peccato. Ad argumentum in principio questionis, predestinatio non est precisa causa, nec convertibilis, nec requisita.